GERARDI VOSSII EBVRONIS BORCHLOONII IN SCIPIONIS SOMNIVM EX SEXTO M. T. DE REP. COMMENTARIVS.

ACCESSIT PARAPHRASIS AC PARADIGMA
Variarum Lectionum ex Codicibus Manuſcriptis atque Impreſſis collatis.

Opus ſanè cùm primis Doctum, ac Studioſis omnibus perutile, & nunc primum in lucem editum.

AD AMPLISS. CARD. IOANNEM Moronum Supremi S. R. E. Collegij Decanum, & nunc ad Remp. Genuenſem. SS. D. N. Gregorij XIII. à Latere Legatum.

Pertinet Ad locum S. Francisci in Urbe



ROMAE, Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. Anno Iubilæi. M. D. LXXV.
Cum licentia Superiorum.

IOANNI MORONO S. R. E. CARDINALI DECANO.

GERARDVS VOSSIVS SAL.

GAVDERE *sibi vehementer posset vniuersi Studiosi, Ioannes Morone Card. Amplissime, Patrone optime, si quę Veteres illi sapientissimi maximis studijs sunt elucubrati, ad posteritatẽ omnia dimanare potuissent: in quibus ad mores hominum formandos, Respublicas gerendas, perfectioremq; rerum ac scientiarum vsum conferentia, non pauca fuisse credimus, quę temporum iniuria, improborumq́; malitia interciderunt, aut potius erepta sunt. Quare si non immeritò de Tulliano Hortensio posteritati sublato, queritur pręclarum illud Ecclesiæ lumen Augustinus, eius lectione in tantam adductus admirationem, vt se hinc ad Christianæ Philosophiæ contemplationem, in Confess. libris accensum profiteatur: mihi etiam hic fortè nõ minus, in communi litteratorũ caussa, licebit surrepta lamentari, quæ de Rep. rectè informanda gerundaq́;, persecutus erat cùm Reip. gubernacula teneret, Eloquentiæ parens Tullius sex Libris, qui siue perierint, siue tamquàm Sibyllini claustris in abdito teneantur reclusi, maximo cum Studiosorum detrimento fieri, certum est: E quibus, priorum quinq́; significationes haud obscuras, præbuit diuersis in locis ipse Cicero, ac B. August. in suis de Ciuitate Dei libris. Atq́; in illis (vt colligere licet) pulcerrima vtilissimaq́; tradebantur documenta, definitiones, partitionesq́; Rerump. Ciuitatum, earundemq́; inter sese cõparationes proponebantur,*

& quomodo in his, pacem atq; concordiam retineri, leges ac Iustitiam tueri conseruariq; conueniat, docebatur. Et præter hæc, De Regijs institutis, legibus, auspicijs, Cæremonijs, Patrum Concilijs, Equitum ac Peditum rationibus, alijsq; similibus ad Remp. requisitis differebatur. Porro in Sexto Libro, ipse Reip. Princeps informatur, suisq; moribus ac legibus instruitur: De qua quidem parte, εὐφύλαξ hic noster Tullius, si non melius, sanè non infelicius, ceteris reperietur disseruisse, si quæ scripsere in hanc partem alij plurimi, cum huius conferantur vigilijs; Nam quæ illi solo ingenio nullaq; persæpè ἐμπειρία freti constituerunt, Hic maximis laboribus summisq; subinde rerum discriminibus, singulari ingenio ac eloquentia, diuturnoq; rerum humanarum vsu, consecutus est felicissimè, & retulit optimè. Hinc ego pro viribus ingenij (quod quàm sit exiguum facilè sentio) meipsum animaui, ad Sexti illius Fragmentum, sub persona Scipionis inscriptum, vnicum nobis tamquàm certum ex illorum librorum Thesauro relictum, ac beneficio fortè Macrobij, primi eius Illustratoris conseruatum, in communem Studiosorum vtilitatem exornandum, Locupletissimoq; Commentario, Paraphrase, ac Varijs Lectionibus illustrandum; In quibus, quid à me præstitum fuerit, pro communi Studiosorum bono, Tua cognoscet amplitudo, sub cuius nomine hæc ipsa in lucem emittere, posterorumq; manibus prodere visum est, & ad id, mea in te Patronum suadet obseruantia, vrget debitum, ipsiusq; materiæ flagitat conuenientia: Nam cùm vsu ac consuetudine ita receptum sit, vt quibus rebus Principes viri delectentur, in ijs multi suum studium probare velint, haud abs re me facturum arbitratus sum, si quæ egò huiusce generis, in quibus te maximè occupare soles darē. Agitur enim hic de Republica, pro qua, quantopere hinc

inde

inde ab adulescentia tua laboraueris, Reip. Christianæ quàm strenuè consilio, prudentia, auctoritate ac sapientia, quibus res magnę geri solent, fueris opitulatus, egregia illa tua, planeq́; heroica confirmant merita. Nouit illud ipsum non tantum Roma, sed omnis planè Italia, Superior ac Inferior nostra confitetur Germania, quæ te olim vidit, & Legationis munere ad Carolum & Ferdinandum, Romani Imperii Monarchas inuictissimos fungentem, lubens gratulabũda recepit, & adhuc hodie pro Patrono ac Domino Clemẽtissimo agnoscit. Virtutem deniq; tuam vniuerso terrarum orbi declarasti, cùm ante paucos annos, caussam omnibus Christianis communem, & vigilantissimè tractasti, & prudentißimè perfecisti in celeberrimo illo Concilio Oecumenico Tridentino, cui non modò interfuisti, sed eidem primus Legatus à Latere (vt vocant) præfuisti, neq́; solum res ibi vtrimq́; ancipites, huc illucq́; sese inclinãtes, maturè accelerasti, verùm etiam sapienter erexisti, quodq́; omnium est extremum, meritoq́; censetur maximum, Sacrosanctam illam Synodum, non absq́; vehementi exspectatione piorum, admiratione, congratulationeq; omnium, ad finem optatum, maximo cum Ecclesiæ bono perduxisti: Quæ sanè quiuis bonus suspicere, omniq́; laude digna cẽsere debet. Nihil hic dicam (vt plerisq́; in more positum est) de insigni illo familiæ tuæ splendore, Maiorum tuorum in pacę iustitiam, in bello virtutem atq́; prę stantiã, & in omni fortuna moderationem, silentio pręteribo. Reliqua deniq́; tuæ vitæ antè actæ insignia non recensebo; Nam hæc tot tantaq́; sunt, vt si singulas vitæ tuæ partes adeò laudabiliter transactas, & iam ad venerandum illud tuũ senium perductas, enarrare voluero, aliud agam nihil quàm si vnius riuuli angustijs vniuersum Oceanum concludere tentauero. Quare ne modum Epistolæ excedam,

te Patro-

te Patronum rogo, vt quando per grauissimas tuas occupationes, quibus iam in cõmiserando illo Genuensis Reip. statu, Legationem obiens, distineris, licebit, hasce meas Elucubrationes, Dominum ac Mecœnatem suum salutantes videas, multaq; in hisce quę tuam Amplitudinem nõ modò ingenua quadã cognitione oblectare, sed tuarũ laudum similitudine excitare poterunt reperies. Est siquidẽ nõ iniucũda Disputatio, De summo æternoq; bono, De Cœli dispositione atq; ornatu, De Rep. benè gubernanda. Describuntur Zonæ, terrarũq; partes cum sua cultura ac solitudine. Postremò præter variam historiam per totũ opus dispersam, etiam de Animorum immortalitate, eorumdemq; præmiis atq; suppliciis differitur, & hæc quidem non solum ex Philosophorum Gentilium, sed & Doctorum Christianorum, tàm Gręcorum quàm Latinorum sententiis. Quæ omnia, non dubito, Tuæ Amplitudini eò cariora erunt, quòd Studiosis scribantur, iis autẽ gratiora, quòd sub talis tantiq; Musarum Patroni nomine in lucem edantur. Quare, hilari quo soles vultu, Cardinalis Amplissime, munus hoc suscipito, eiusdemq; Auctorem quẽ familia tua excipis, amare quod facis, pergito. Ego quod mearum erit partium, Deum ter Opt. Max. rogabo, vt te virum æternitate dignissimum, Ecclesię suæ, cui es vtilissimus, & bonis omnibus, quibus es gratissimus, ad multos annos florentem conseruet, nobisq; breui, rebus Genuensium pacatis, incolumem restituat. Vale. Romæ, ex tuo Palatio.

A D

AD LECTOREM.

SAepè diuq; Lector candide, mecũ animo complexus sum, qua via quaq; ratione de cõmunibus studijs mereri posse melius, è propria scilicet pharetra noui quid depromendo, an verò quæ à priscis illis morum rerumq; magistris grauiter docteq; dicta ac scripta fuerunt olim, Cõmentarijs illustrando, quæq; ad maiorem eorumdem cùm splendorem tùm perspicuitatẽ facerent, elucubrando Sed amant alterna Camenę (ut inquit Poeta) ipseq; alterũ aliàs præstiti, & iam quartus sit exactus annus, qui quartus & vigesimus meæ ætatis erat, quandò apud Belgas nostros, in florẽtissima Louaniensium Academia, Rhetorica mea edidi, in quibus vniuersas Eloquentiæ Præceptiones, ad suos & maximè huius temporis vsus, grauissimos Auctores secutus, quantũ ingenio ac labore adsequi poterã, reuocaui: Quorũ recognitionẽ priusquã (vt fieri solet) denuò cõmitti prælo permisero, censui me operæpretium facturum, si quæ iam pridem inter grauiora Theologiæ ac Iuris Pontificij studia, subinde horam surreptãs in Fragmentũm Sexti Ciceronis de Rep. scripsi, Studiosis obtulero: non tamen quasi alijs palmam præripiens, sed omni liuoris nota seposita, ijs qui velint posintq;, ad hæc ipsa melius feliciusq; persequenda, viam præbens sternẽsq;. Scripsit quidẽ in hoc ipsum Opus, quod hic locupletandum illustrandumq; suscepi, duos Commentariorũ Libros Macrobius, fateor: at ita prolixè, atq; variè, vt aliud fecisse videatur nihil, quàm Platonicæ doctrinæ ostentare diuitias, à vera communiq; Philosophorum sententia subinde, (vt in Commentario nostro liquebit) deflectens, & sese interim posterorum ingenijs non satis accommodans. Quæ si dicantur liberius, me quòd cum multis haud infimę doctrinę sentiã hominibus, amicaq; in hoc sit ipsa rei veritas, à calumnia vindicabit generosus, doctusq; Lector. In hoc verò Commẽtario nostro, quid tùm in veritate Historiæ, tùm in varijs quæstionibus, ex vniuerso pęnè Philosophię Thesauro depromptis præstitum fuerit, communi cedat Studiosorum cõmodo velim. Hisce, ne quid desideraretur, Paraphrasin subiecimus, & Paradigma varias inter sese Lectiones conciliandi addidimus, omniumq; cõtentorum Elenchos apposuimus. In quibus omnibus, quid præstitum fuerit, quod pari fortasse ratione ac studio exantlatum non exstiterit prius, Lector studiose cognosces. Vale.

CATALO-

CATALOGVS

Auctorum quorum testimoniis, in hisce suis Commentariis, vsus est Gerardus Vossius.

A
Albertus Magnus.
Alphraganus.
Appianus.
Aratus.
Aristarchus.
Aristippus.
Aristoteles.
Auerroes.
B
Basilius Magnus.
Boetius.
C
Cęlius Rhodigin'.
Celsus.
Censorinus.
Cicero.
Cleomedes.
D
Diodorus.
Dion. Areopagita.
E
Ennius.
Epicurus.
F
Florus.
G
Galenus.
Guilielmus Sirletus Card. litteratorum Decus.
H
Herodotus.
D. Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus.
Hortensius.
I
Iustinus historicus
L
Lactantius Firmianus.
Liuius.
Lucanus.
Lud. Viues.
M
Macrobius.
Marsilius Ficinus.
Maximus Planudes
Mela.
N
Nicomachus Gerasinus.
O
Ouidius Naso.
P
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polybius.
Proculus.
Psaltes Regius.
C. Ptolemæus Alexandrinus.
Pythagoras.
Q
Quinctilianus.
S
Seneca.
Seruius.
Sibyllæ.
Solinus.
Socrates.
Strabo.
Suidas.
T
Testamentum Nouum ac Vetus.
Thebitius.
Theod. Gaza.
Themistocles.
D. Thomas.
Tibullus.
Timęus Locrensis.
Trismegistus.
V
Val. Maximus.
Varro.
Velleius.
Virgilius.

FINIS.

GERAR-

GERARDI VOSSII EBVRONIS
A BORCHLOON
ILLVSTRATIONES
in Doctiſsimum Scipionis Somniũ, Sexti de Re publica fragmẽtum.

SED quamquam ſapientibus, conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſsimum virtutis eſt præmium, tamen illa diuina virtus non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam & viridiora præmiorum genera deſiderat. Quæ tandem iſta ſunt, inquit Lelius. Tum Scipio, patimini me, inquit, quoniam tertium diem feriati ſumus.

Occaſio ſomnii Scipionis, de qua in Commẽtario noſtro fuſius.

Scipio.

CVM in [a] Africam veniſſem M.
Manilio proconſule, ad quar- 1.
tam legionem tribunus (vt ſci-
tis) militum, nihil mihi fuit po
tius, quàm vt Maſsaniſſam con
uenirem, regem familię noſtrę
iuſtis de cauſsis amiciſsimum. ad quē vt veni,
complexus me [b] ſenex collacrymauit, aliquan
toq́; poſt ſuſpexit in cœlum; &, grateis, in-
quit, tibi ſumme [c] Sol ago, vobiſque reliqui
cœlites, quòd antequam ex hac vita migro, cō
ſpicio in meo regno; & his tectis Pu. Corneliū
Scipionem, cuius ego nomine ipſo recreor.
ita numquā ex animo meo diſcedit illius [d] opti 2.
mi, atque inuictiſsimi viri memoria [e]. Deinde
ego illum de regno ſuo, ille me de noſtra re-
publica percunctatus eſt: multisq́; verbis vl-
tro citroque habitis, ille nobis conſumtus eſt
dies. Poſt autem regio [f] apparatu accepti, ſer-
monem in multam noctem produximus, cum
ſenex nihil, niſi de Africano, loqueretur, [g] om
niaq́; non ſolum eius facta, ſed etiam dicta me
miniſſet. [h] Deinde, vt cubitum diſceſsimus,
me, & feſſum de via, & qui ad multam noctē 3.
vigilaſſem, arctior quam ſolebat, ſomnus cō
plexus eſt. [i] Hic mihi (credo equidem ex hoc,
quod eramus locuti; [k] fit enim fere vt cogitatio
nes, ſermonesque noſtri pariant aliquid in
ſomno tale, quale de Homero ſcribit [l] Ennius,
de quo videlicet ſępiſsimè vigilans ſolebat co
gitare, & loqui) Africanus ſe oſtendit ea forma,
quæ

a Somnij occaſio ipſiusque ὁμοίωσις tum ab hyſtoriæ adiūctis tū a ſomnii cauſſis proponitur.
b Affectus ſenilis.
c Strabo & mela de moribus Afrorum agentes clarè eos ſidera coluiſſe oſtendunt. plura de hoc cultus genere ī noſtro reperire licebit Commentario.
d Cum Africano maiori Maſſaniſſa militauerat ſecundo bello Punico.
e Colloquium maſſaniſſę cum Scipione Aemyliano.
f Decorum Regium.
g Hypotypoſis veræ amicitiæ.
h Ad hanc vſq; clauſulam ſeſe huius extendit exordium, ipſi ſomnio ex vera hyſtoria valde artificiosè accōmodatum.
i παρασκευή ad ſomnium.
k Ratio & cauſſa ſomnij ponitur quæ dilucidè ab eodem ſecūdo de Diuin. explicatur.
l Exemplum ab Ennio ſumtum, fingente in Aiace Homeri animam in ſuum corpus migraſſe, de hoc eius Somnio latius in Comment. videre licet.

quę mihi ex imagine eius, quàm ex ipso, notior
erat. quem vt agnoui, equidem cohorrui: Sed
ille, ades, inquit, animo, & omitte timorem,
Scipio, & quæ dicam, memoriæ trade. Vides
ne illã [a] Vrbem, quæ parere populo Romano
coacta per me, renouat pristina bella, nec
potest quiescere? (ostendebat autem Carthagi-
nem de excelso, & pleno stellarum, illustri
& claro quodam loco) ad quam tu oppugnan-
dam nunc venis pene miles. [b] Hanc hoc bien-
nio [c] Consul euertes; eritq; tibi id [d] cognomen
4. per te partum, quod habes adhuc hæreditariũ
à nobis. Cum autem Carthaginem deleueris,
5. triumphum [e] egeris, [f] censorq; fueris, & obie-
ris [g] legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Græ-
ciamq;: delegere iterum consul absens, & bel-
lum maximum conficies, [h] Numantiam excin
des. Sed cum eris [i] curru in capitolium inue-
ctus, offendes rempub. perturbatam cõsilijs [k]
nepotis mei. Hic tu Africane ostendas, opor
tebit, patriæ lumen animi, ingenij, consilij-
que tui. Sed eius temporis ancipitem video
quasi fatorum viam. Nam, cum ætas tua septe
nos occies solis amfractus, reditusque conuer
terit; duoque hi numeri, quorum vterque ple-
nus, alter altera de causa habetur, circuitu natu
rali, summam tibi fatalem confecerint; in te
vnum, atque tuum nomen se tota conuertet ci
uitas? Te Senatus, te omnes boni te socij [l] latini
intuebuntur. Tu eris vnus, in quo nitatur Ciui
tatis salus. Ac, ne multa, dictator rempub.

 consti-

a Carthago bis a Romanis euicta, tertio bellũ redintegrauit, ad quam oppugnandã Scipio Aemilianus, cũ vix ex Tyrocinio militiæ excessisset sese accinxit.

b In militia primus honoris gradus, Tribunatus militũ.

c Cõsul pro cõsulare Imperiũ habente. Vide Paraph.

d Scipio cognomen Africanorum meretur.

e Triũphus extitit de pœnis eodẽ anno quo Corynthus deleta est, Lentulo & Mum. Coss.

f Cẽsor fuit cũ L. Mum. in cõsulatu L. Metelli & Q. M.

g Legatiões Scipionis videre licet in Paraphr. de quibus Iustinus lib. 38.

h Numãtinum bellũ maximũ vide Commen.

i Triũphus Numantinus exstitit P. Pop. P. Rupil Coss anno: V. C. DCXXI.

k Roma. factionibus Cai Graeci cõturbata, viuente. n. Tyberio non videtur fuisse expugnata Numantia. Vide Hysto.

l Hos eosdem fuisse nono de bello Punico commonstrat Liu. & Cic. in Lelio.

constituas oportet, si impias propinquorum
manus effugeris. Hic cum exclamauisset Læ-
lius, ingemuissentq; ceteri vehementius; le-
niter arridẽs [a] Scipio, Quęso inquit, ne me a
somno excitetis, & parum rebus: Audite cete 6.
ra. Sed quo sis [b] Africane alacrior ad tutãdam
rempub. sic habeto: [c] Omnibus, qui patriã con
seruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse
in cœlo, ac definitum locum, vbi beati sempi
terno æuo fruantur: Nihil est enim illi principi
Deo qui omnem hunc mundum regit, quod
quidem in terris fiat acceptius, quàm [d] cõsilia,
cœtusque hominum iure sociati, quæ Ciuitates
appellantur. Harum rectores, & conseruato
res, hinc profecti, huc reuertentur. Hic ego
(etsi eram perterritus, [e] non tam mortis metu,
quam insidiarum a meis) quæsiui tamen, uiue-
ret ne ipse, & pater Paullus, & alij, quos nos
exstinctos arbitrabamur. Immò vero, inquit,
hi viuunt, qui è corporũ vinculis tamquam e [f]
carcere, euolauerunt: Vestra vero, quæ dicitur
vita, [g] mors est. Quin tu aspicias ad te venien
tem patrem Paullum. Quem vt vidi, vim la
crymarum profudi: ille autem me complexus,
atque osculans, flere prohibebat. Atque ego,
vt primum fletu represso, loqui posse cæpi, quę
so, inquam, pater sanctissime, atque optime,
quoniam hæc est vita (vt audio, Africanum di
cere) quid moror in terris? quin huc ad vos,
propero venire? Non est ita, inquit [h] ille. Nisi 7.
enim Deus is, [i] cuius hoc templum est omne
quod

a Scipio hęc referens, facetè dicit, quasi dormiens.

b Africanus solatur Scipionẽ.

c Virtuti honestisque actionibus, quis finis, quodue constitutum sit præmium.

d Definitio Ciuitatis ex Platone in lib. de Rep. & Aristotele. i Politicis desumta.

e Viri fortes nõ tam morte, quã iniusta potius mortis caussa solent turbari: Et hoc ipsũ, de Socrate Platonis Phędo pulcerrimè commonstrat.

f Corpus appellatur Animæ Carcer.

g Hic locus ex Platonis Gorgia videtur desumtus. Cõsule Cõment.

h Paullus, & nõ Africanus.

i Vniuersus mũdus dicitur Dei Templum.

quod conſpicis, iſtis te corporis [a] cuſtodijs libe rauerit, huc tibi aditus patere non poteſt. [b] Homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, que [c] terra dicitur, hisq; animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera, & ſtellas vocatis; [d] que rotundæ & globoſæ
8. diuinis animatæ mentibus, circulos ſuos, orbesq; conficiunt celeritate mirabili. [e] Quare, & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis; nec [f] iniuſſu
9. eius, a quo ille eſt vobis datus ex hominum vita migrandum eſt; ne munus humanum aſsignatum a Deo defugiſſe videamini: Sed ſic,
10 Scipio, vt [g] auus hic tuus, vt ego qui te genui, iuſtitiam cole, & pietatem; quæ cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in [h] patria, maxima eſt: [i] Ea vita, via [k] eſt in cœlum, & in hunc cætum eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides (erat autem is ſplendidiſsimo candore inter flammas elucens circulus) quem vos (vt a Graijs accepiſtis) [l] orbem lacteum nuncupatis; [m] ex quo omnia mihi contẽplanti, pręclara cetera, & mirabilia videbantur: [n] Erant autem eę ſtellæ, quas numquam ex hoc loco vidimus; & eæ magnitudines omnium, quas eſſe numquã ſuſpicati ſumus: [o] Ex quib⁹ erat ea minima, quę
11 vltima Cœlo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum [p] autem globi, terrarum magnitudinem facile vincebant. Iam vero ipſa terra ita

a γνώμη perelegans.
b Antecedens argumentationis, qua id quod dictum fuit probatur.
c Terra globoſa eſt.
d Stellę quo pacto dicãtur rotundæ atq; globoſæ, diuinisq; mentibus animatæ. Conſule Commentariũ.
e Conſequens.
f Iniuſſu Dei de præſidio & ſtatione vitæ humanæ decedendum non eſt.
g Africanus.
h Pietas in Patriã maxima.
i Repetitio ipſius propoſitiõis.
k Iuſticia & pietas in cęlũ ducunt.
l Orbis lacteus ſiue γαλαξία.
m Sumit ſibi occaſionem cęli terræque deſcribẽdæ, valde accommodam.
n Duo in ſtellis ẽ admiratus Scipio, quarundam nouitatẽ, & omnium magnitudinem, de quibus i Cõm.
o Luna reſpectu ſuperiorum ſphærarum infima eſt.
p Magnitudo ſtellarum.

mihi parua visa est, vt me imperij nostri, quo
quasi [a] pũctum eius attingimus pæniteret. quã
cum magis intuerer, quæso, inquit Africanus,
quousque humi defixa erit tua mens? Non ne
aspicis quę in templa veneris? [b] Nouem tibi or
bibus, vel potius globis connexa [c] sunt omnia;
quorũ vnus est cęlestis [d] extimus, qui reliquos
complectitur omneis, summus ipse deus, ar- 11
cens & cõtinens ceteros, in quo sunt infixi illi
qui voluuntur stellarum cursus sempiterni. [e] 12
Cui subiecti septẽ, qui versantur retro, contra-
rio motu, atque cœlum: Ex quibus vnum glo
bum possidet illa, quam in terris [f] Saturniam
nominant: Deinde est hominum generi pro-
sperus, & salutaris ille fulgor, qui dicitur [g] Io-
uis, tum rutilus horribilisque terris, quẽ [h] Mar
tem dicitis. Deinde subter mediam fere regio
nem [i] Sol obtinet, [k] dux, & princeps, & mode
rator luminum reliquorum, mens mundi, &
temperatio, tanta magnitudine, vt cuncta sua
luce compleat, & lustret. Hunc vt comites con
sequuntur, [l] Veneris alter, alter Mercurij. In 13
infimoq; orbe [m] Luna radijs Solis succensa cõ
uertitur. [n] Infra autem iam nihil est, nisi mor-
tale, & caducum, præter animos munere deo-
rum hominum generi datos, supra lunam sunt
æterna omnia. Nã ea quæ est [o] media, & nona
tellus, neque mouetur, & infima est, & in eam
feruntur omnia nutu suo pondera. Quæ cum 14
intuerer stupens, vt me recepi, Quis hic (in- 15
quam) quis est, qui complet aures meas tantus,

& tam

a Argumẽtum effectus probabile cũ decoro.

b Partitio cæle stis machinę in nouem Orbes siue circulos.

c Aliqui hic legunt conuexa.

d Circulus primus ponit̃ primi mobilis.

e Supremo cælo septem Planetarum subiecti sunt orbes qui ex occidente in orientẽ, cõtrario videtur motu volui, sicut & ipsum cælũ supremum Vide Cõment.

f Circulus Saturni.

g Iouis Circul9.

h Martis Circulus.

i Circulus inter alios medius Solis est.

k Varia Solis Epitheta, de quibus in Comm.

l Comites Solis Circulus Veneris & Mercurij.

m Infima omnium Sphærarum quę mouẽtur est Luna.

n Quidquid cõsistit infra Lunam corruptioni interituiq; est subiectum, p̃ter animas hominũ, quæ sũt immortales.

o Sphæræ nonæ ac mediæ quædam descriptio.

& tam dulcis[a] sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen
16 pro rata portione distinctis, impulsu, & motu ipsorum orbium conficitur, & acuta cum grauibus temperans, varios æquabiliter concẽtus efficit: Nec enim silentio tanti motus incitari possunt; & [b] natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acutè sonent. Quam ob caussam summus ille Cœli stellife-
17 ri [c] cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto, & excitato mouetur sono, grauissimo autẽ hic [d] lunaris atque infimus: Nam terra, [e] immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium locum mundi. Illi autem octo
18 cursus, in quibus eadem [f] vis est duorum, Mercurij, & Veneris, septem efficiunt distinctos interuallis sonos, qui numerus rerum omnium
19 fere [g] nodus est; quod docti homines neruis immitati, atque cantibus, aperuerunt sibi reditum in hunc locum, sicut alij, qui præstantibus ingenijs in vita humana, [h] diuina studia coluerũt. Hoc sonitu completæ aures obsurduerũt: Nec est vllus hebetior sẽsus in vobis; sicut vbi [i] Nilus ad illa, quæ [k] catadupa nominantur, præ-
20 cipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic vero tantus est, totius mundi sonitus in citatissima conuersione, vt eum aures hominum capere non possint; sicut intueri solem aduersum nequitis, eiusque radijs acies vestra, sensusque vincitur.

a Sphærarũ cœlestium Harmonia atq; concẽtus ex sentẽtia pythag. Platon. ac Cic. ponitur quę an vera sit docet Cõment.

b Vis naturę in Sonis quid operetur.

c Sonus summi illius cæli stelliferi cursus.

d Sonus Lunaris siue vltimæ Sphæræ.

e Situs immobilitasq; Terrę.

f Ex Mercurio & Venere vnicus tantummodo motus sonique tenor efficitur.

g Septenarius numerus dicitur rerum omnium fere nodus.

h Diuina studia colere, quid sit, vide Paraphrasin.

i Nili effectus.

k κατάδουπα, ὀργίλος, καταράκτης dicitur græcis.

Hæc ego admirans, referebam tamen oculos
ad terram identidem. Tunc Africanus, sen-
tio, inquit, te sedem, etiam nunc hominum, ac 21
domum contemplari; quæ tibi parua (vt est)
ita videtur; Hæc [a] cælestia semper spectato,
illa humana contemnito. Tu [b] enim quam ce
lebritatem sermonis hominum, aut quam ex- 22
petendam consequi gloriam potes? Vides ha-
bitari in [c] terra, raris, & angustis in locis, & 23
in ipsis quasi maculis, vbi habitatur, [d] vastas
solitudines interiectas: hosq; qui incolunt
terram, non modo interruptos ita esse, vt nihil
inter ipsos ab alijs ad alios manare possit; sed
partim [e] obliquos, partim transuersos, par-
tim etiam aduersos stare vobis, à quibus 24
sperare gloriam certe nullam potestis. Cer-
nis autem eandem terram, quasi quibus- 25
dam redimitam, & circundatam [f] cingu-
lis. E quibus duos maxime inter se diuer-
sos, & ipsis verticibus cœli, ex vtraque parte
subnixos, [g] obriguisse pruina vides. [h] Medium
autem illum, & maximum solis ardore torre-
ri: Duo [i] sunt habitabiles; quorum australis
ille, in quo qui insistunt, aduersa vobis vrgent
vestigia, nihil ad vestrum genus. Hic autem
alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne 26
quàm tenui vos parte contingat: Omnis enim 27
terra, quę colitur a vobis, [k] angusta verticibus,
lateribus latior, parua quædam insula est, cir-
cumfusa illo mari, quod [l] Atlanticum, quod
Magnum, quem Oceanum appellatis in terris;
qui

a γνώμη ex ethnico quidé pectore deprōpta, sed christiano hoīe digna.

b Propositio cōtentionis cū distributione adiuncta.

c Transitio ad vltime Sphæræ (quæ Terra ponitur) hypotyposin.

d Minima videbitur ea Terræ portio quæ habitatur, si cum ea quę ab hominibus non incolitur, conferat.

e Homines terram inhabitantes, quo pacto dicantur obliqui, trāsuersi atque aduersi siue Ἀντίποδες. videre licet Cōmentar.

f Zonæ cæli ac terræ quinque.

g Duæ Zonæ ꝓpter frigoris magnitudiné inhabitabiles.

h Media Zona ꝓpter vehemētiam æstus, inhabitabilis.

i Duæ Zonæ, habitabiles.

k Terra habitata, exigua videt' Isula, mari magno circūfusa.

l Varia maris appellatio.

qui tamen tanto nomine, quam ſit paruus, vides. Ex his ipſis cultis, notiſq; terris, num aut tuum, aut cuiuſque veſtrum nomen, vel [a] Caucaſum hunc quem cernis, tranſcendere potuit? vel illum Gangem tranare? vel quis in re
28 liquis orientis, aut obeuntis ſolis vltimis, aut aquilonis, auſtriue partibus tuũ nomen audiet? Quibus amputatis, [b] cernis profectò, quantis in anguſtijs veſtra ſe gloria dilatari velit. Ipſi autem, qui de vobis loquentur, quam loquentur diu? [c] Quin etiam ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes vnius cuiuſ-
29 que noſtrum, à patribus acceptas, poſteris prodere, tamen propter [d] eluuiones, exuſtioneſq; terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non ęternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autē
30 intereſt ab his qui [e] poſtea naſcentur, ſermonē fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui ante nati ſunt, qui nec pauciores, & certè meliores fuerunt viri, pręſertim cum apud eos ipſos à quibus audiri nomen veſtrum poteſt, nemo vnius anni memoriam conſequi poſsit? Ho-
31 mines enim populariter annum tantummodo ſolis, id eſt, vnius aſtri reditu metiuntur, cum autem ad idem, vnde ſemel profecta ſunt, cun-
32 cta aſtra redierint, eandemq; totius cæli deſcriptionem longis interuallis retulerint, tūc ille verè [f] vertens annus appellari poteſt, in
33 quo, vix dicere audeo, quàm multa hominum ſæcula teneantur. [g] Namq; vt olim [h] ſol deficere

[a] Romanorũ gloria Scipionis tēpore non dũ penetrarat Caucauſũ, aut Gangem.

[b] Pertinet ad comprimendũ faſtũ, gloriæq; humanæ contētum: Et eſt illatio cõſequētis.

[c] Alia ἀντιπο φορα futuri ſermõis correctione adhibita.

[d] Cauſſatur nomen pręclaraq; hominum facinora nõ queāt ſemper poſterorum ſucceſsioni prodi.

[e] Appetendæ gloriæ inſiſtit diſſuaſioni.

[f] Annus vertēs qui & mundanus, magnus, ſiue Platonicus dicitur, qualis quamque diuturnus, de quo latius in Commentar.

[g] Repetitio dicti exemplo facta.

[h] Sol ſub exitũ Romuli, patiendo Eclypſin, videbatur deficere, atque extingui. de quo in Commentar.

ficere hominibus, exſtinguiq́; viſus eſt, cũ Ro
muli animus hæc ipſa in templa penetrauit; ita
quandocunque eadem parte ſol eodemque tẽ- 34
pore, iterum defecerit, tum, ſignis omnibus
ſtellisque ad idem principium reuocatis, exple
tum annum habeto: Cuius quidem anni non
dum vigeſimam partem ſcito eſſe conuerſam. 35
[a] Quo circa, ſi redditum in hunc locum deſpe
raueris, in quo omnia ſunt magnis, & præſtã-
tibus viris: quanti tandem eſt iſta gloria homi
num, quæ pertinere vix ad vnius anni partem
exiguam poteſt? Igitur, alte ſpectare ſi uoles,
atque hanc ſedem, & æternam domũ contue-
ri; neque te [b] ſermonibus vulgi dederis, nec 36
in præmijs humanis ſpem poſueris rerum tua-
rum: ſuis te illecebris oportet ipſa virtus [c] tra-
hat ad verum decus. Quid de te alij loquan-
tur, ipſi videant, ſed loquentur tamen. Ser- 37
mo autem ille omnis & anguſtijs cingitur his
regionum, quas vides: Nec vnquam de vllo [d]
perennis fuit, & obruitur hominum interitu,
& obliuione poſteritatis exſtinguitur. Quæ
cum dixiſſet, ego vero, inquam, o Africane, ſi
quidem benemeritis de patria quaſi limes ad 38
cœli aditum patet, quamquam à pueritia veſti
gijs ingreſſus patris, * & tuis, decori veſtro nõ
deſui, nunc tamẽ, præmio tanto propoſito, eni
tar multo vigilantius. Et ille; tu vero enitere 39
& te habeto, non eſſe mortalem, ſed [e] corpus
hoc: Nec enim tu is es, quem forma iſta decla
rat: ſed mens cuiuſque is eſt quisque, non ea fi-
gura

a Cogit ex cõparatione incõmodorum cui τῆς παραινεσιος adhibet caput, cum breui dictorum ἀνακεφαλαιώσι

b Sententia egregia, & christiano homine digna.

c Virtus ad verum trahit decus.

d Sermo humanus quibus quãtisque constringatur angustijs.

* Paulli.

e Corpus tantummodo corruptioni interituique obnoxiũ est. Anima autem immortalis.

gura quæ digito demoſtrari poteſt. [a] Deum te
40 igitur ſcito eſſe: ſi quidem eſt deus qui viget,
qui ſentit, qui meminit, qui prouidet, qui tā
regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui
præpoſitus eſt, quam hunc mundum ille prin
ceps deus: & vt ipsū mundū ex quadam [b] parte
mortalem ipſe [c] deus æternus, ſic fragile cor-
pus animus ſempiternus mouet: nam [d] quod
ſemper mouetur æternum eſt; quod autem mo
tum affert alicui, quodque ipſum agitatur aliū
de, quando finem habet motus, viuendi finem
habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeſe mo
41 uet quia numquam deſeritur à ſe, numquam
ne moueri quidem deſinit; quin etiam ceteris
quæ mouentur, hic fons, hoc principium eſt
mouendi, principio autem nulla eſt origo, nā
[e] ex principio oriuntur omnia: ipſum autem
nulla ex re: nec enim id eſſet principium quod
42 gigneretur aliunde. Quod ſi numquam oritur,
nec occidit quidem vmquam. Nam [f] princi-
pium exſtinctū nec ipſum ab alio renaſcetur,
nec ex ſe aliud creabit. Siquidem [g] neceſſe eſt
à principio oriri omnia: ita fit, vt motus prin-
cipium ex eo ſit, quod ipſum à ſe mouetur.
Id [h] aūt nec naſci poteſt, nec mori. Vel [i] conci
dat omne cœlum, omniſque natura conſiſtat
neceſſe eſt. Nec vim vllam nanciſcatur, qua
43 a primo impulſa moueatur. [k] Cum pateat igi-
44 tur id æternum eſſe, quod à ſeipſo moueatur;
quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributā
45 neget? Inanimum autem eſt omne, quod im-
pulſu

a Homo quo pacto Dei mereatur nomen. Conſule Comment.
b Argumentū a maiori ad minus.
c Mundus ex quadam parte mortalis quo pacto, cōſule Cōment.
d Ratiocinationes quibus ad finem vſque operis probare cum Platone cō tendit Tullius Animorum immortalitatem. De his videre licebit Commēt.
e Ex principiō oriuntur omnia, ipſum verò ex nullo.
f Principium.
g Sufficiens Enumeratio ſimilitudinis poſitæ.
h Cōcluſio abſurdorum atq; Impoſſibilium adiectione confirmata.
i Cœlum, quo pacto concidere, omniſque natura conſiſtere dicatur.
k Epilogus cū ipſius effectus cōceſſione, quā enthimemate a cōtrarijs ducto corroborat.

pulſu agitatur externo. Quod autem animal 46
eſt, id motu cietur interiore & ſuo. Nam hæc
eſt propria [a] natura animæ, atque vis. Quæ
ſi eſt vna ex omnibus quæ ſeſe moueat; neque
[b] nata certè eſt, & æterna eſt. [c] Hanc tu exerce
optimis in rebus. [d] Sunt autem hæ optimæ cu
ræ, de ſalute patriæ, quibus agitatus, & exerci
tatus animus, velocius in hanc ſedem, & do-
mum ſuam peruolabit: Idque [e] ocius faciet, ſi
iam tum, cum incluſus erit in corpore, emine
bit foras, & ea quæ extra erunt contemplans,
quam maximè ſe à corpore abſtrahet. Nam
eorum animi, qui ſe voluptatibus corporis de
diderunt, earumq; ſe quaſi miniſtros præbue-
runt, impulſuq́; libidinum, voluptatibus obe-
dientium, deorum, & hominum iura violaue 47
runt; [f] corporibus elapſi circum terram ipſam
volutãtur, nec huncin locum niſi multis exa- 48
gitati [g] ſæculis reuertuntur. Ille diſceſsit; ego
ſomno ſtatim ſolutus ſum.

[a] Animæ natura & vis.
[b] A'ναγκαῖον.
[c] Anima eiuſque Exercitijs qũo & quibus in rebus vti cõueniat.
[d] Argumentatur à Iuſto & Vtili, eſtque finis præſentis operis.
[e] Anima quomodo velocius otiuſque in ſedem & domum ſuam peruolare poſsit.
[f] De duplici via ac curſu Animorũ è corpore excẽdẽtiũ, plura ex ſententia Socratis, Platonis, & Ciceronis, videre licet in Commenta.
[g] De multis illis ſæculis agit Plato ĩ phædro, & decimo de Rep. vide Comment. noſtrum ſub finem.

Hæc poſteritati prodita fuere, & ex Sexto Ciceronis libro de Republica ſola tamquam certa remanſere, nunc opera ac ſtudio Gerardi Voſſii Eburonis a Borchloon illuſtrata.

Sequitur Commentarius doctiſsimus ac locupletiſsimus eiuſdem Gerardi Voſsij.

GERARDI VOSSII EBVRONIS
A BORCHLOON
COMMENTARII
in pulcerrimum Scipionis Somnium locupletissimi,

In quibus præter Hystoriam concernentia, Quęstiones variæ, eæque perutiles, ex Philosophia tractãtur, dilucideq́; ex Auctoribus tam Gręcis quam Latinis explicantur.

ARGVMENTVM

QVEMADMODVM Diuinus ille Plato Remp. suam format & quales in ea esse debeant describit, proponendo cruciatus suppliciorumq́; genera eorum, qui in hac vita dum essent sese humanis vitijs contaminarunt, seque totos turpitudinibus & libidinibus deuouerunt, vt interim alios qui nondum e viuis excessere, ab institutis pessimis reuocet, à flagitijs pœnarum formidine deterreat: ad eundem quoque modum, hic noster Tullius sese Platonis ostendens comitem, Romanorum animos nobiliores ac generosiores in Beatitudinis, felicitatisq́; cuiusdam sempiternæ, licet ijs fictæ, spem conatur erigere, illos non pœnis vt ille exstimulans, sed præmijs cohortans ac prouocans, vt benè beateq́; viuãt, de patria optimè mereantur,

reantur, in tranquillissima pace suam Remp. administrent, placidissimeque conseruent. Porro Plato, vt sua confirmet, prestantissimi militis Heri Armenij Pamphilij genere factum enarrat, & quæ ipse vita defunctus viderat (Siquidē in acie occubuerat. illumque ab inferis excitatum fingit) recenset, vt dictis suis maior adhibeatur fides, eo referente que viderat: Referebat autem, Imperator ille belli, præmia quibus exornantur remunerantur q; boni, & Suppliciorum genera quibus afficiuntur impij: Cicero vero suorum fidem facere volens, hoc Scipionis Somnium, fragmentum sexti eius libri de Rep. in medium profert, grauissimas sanctissimasque (vt vult ipse) personas colloquentes quibus nefas reputat non credi adducens, vti Paullum Aemilium qui Scipionem iuniorem in filium adoptarat, & duos Scipiones Africanos, auum & nepotem, illos quidem hac vita defunctos, hunc autem adhuc viuum & in Reip. castris militantem. Cæterum an illa Platonica ἀνάστασις & istud Tullianum somnium μῦθος ac fabulosa narratio sit, an hystoria, vanè sua solent torquere ingenia plurimi: Ego autem (vt id quod sentio ingenuè dicam) confiteor quidem hoc, ab ipso Cicerone fuisse dictatum, sed ex probatis vllis Auctoribus siue hystorijs veritatē erui constabilirique posse inficior, Herique illius Platonici resuscitationē (quidquid senserit Marsilius Ficinus) fictitiam & cum ipso Platone fabulam esse & non hystoriā, illumq; lusisse potius quàm quod id verum esse affirmet, dicere voluisse cum

Plato in Dialogo Decimo de Republica.

De præmijs bonorum & supplicijs impiorū Plato sub finē Phędōis habet.

Scipionis Somnium Sexti lib. de Rep. est fragmentum.

Personæ introductæ colloquentes.

ἀνάστασις Heri Platonici, & Somnium Scipionis fabulæ ne an hystoriæ dici debeant.

Sententia Ficini videtur errori obnoxia.

se cum B. Augustino contendo : dogmata tamen vtrimq; præclara cum primis atque vtilia tradi, admitto, adseueroque. Quantum autem ad pręsens hoc nostrum pertinet opus, sciendum est ipsum Auctorem in eodem Physices Metaphysicesq; ac Aethices magna ex parte tradidisse abdita, quidque vnaquęque harum partium valeat non modo insinuaße sed & perfectè quasi ob ocu los posuisse, Moralia sunt illa quę refert ipse in Paręnesi illa quàm mox post operis Proęmium de cultu virtutum, amore Patrię, & contemtu humanę glorię ponit, Physices siue Naturalis Philosophię limites ingreditur ea in parte qua de Sphęris nouem, quibus omnia docet esse connexa, earumq; harmonia siue concentu agit, ac de Circis cęlestibus, zonisq; terrestribus & Oceani situ ac spacijs differit. Porro ab eo loco, quo in hęc prorumpit verba Deum igitur te scito esse &c. *Vsque ad finem operis se Metaphysicum (licet & ad Physicam ea ipsa documenta referri possint) commonstrat, Eo siquidem in loco de Animæ perfectione, & eius cum Deo similitudine, prętérea de motu illiusq; immortalitate ratiocina tur, quę non sensu, sed sola ratione (vnde tamen hanc non Ratiocinalis Philosophię partem vt vo luit Macrobius dicere fas est) adsequimur.. Atq; ex his quę istius operis sit pręstantia quantaque eius cunctis studiosis sit vtilitas cognoscere licet abundè. Interim ad ipsum Commentarium nos accingimus.*

Aug. lib. 22. ca. 28. de Ciuitate Dei.

Partes Philosophiæ hoc opere comprehensæ.

Partitio operis.

Sententia Macrobij contra Philosophiam.

Pręstantia vtilitasq; operis.

Finis Argumenti.

Sed

Sed quamquam ſapientibus &c.

Occaſio recenſendi Somnij.

OCcaſio eſt quę Scipionem prouocauit ad Somniū quod multo tempore ſe teſtabatur condidiſſe, recenſendum, Lelius ſiquidē interrogatus, nullas ne Naſicæ ſtatuas in publico interfecti Tyranni remuneratione locatas conſpexiſſet; poſt alia, in hæc verba reſpō dit Scipio. Sed quamquam ſapientibus &c. docere " quippè intendens quænam ſint viridiora ſtabilioraq; præmiorum genera; atq; his verbis ad pulcerrimi illius Somnij narrationem venit, quæ in hiſce noſtris elucubrationibus (ne quid quod quidem exſtaret hoc in libro deſideraretur) licet à plærisq; omiſſa, omnino cum Macrobio huius Somnij primo Illuſtratore, aut ſi malis relatore, addere eſt viſum.

Cum in Africam veniſſem M. Manilio Proconſule &c.

Valer. lib. 5.

HYſtoria huius apud Valerium Maximum eſt talis: Maſſaniſſa cùm graui Carthaginenſium bello premeretur, ac vix tutelæ ſui imperij ſufficeret, tamen Scipioni Aemiliano quia nepos Africani erat, bonam magnamq; partem Numidici exercitus, quam Lucullo Conſuli, à quo ad auxilia petenda fuerat miſſus, in Hiſpaniam duceret promtiſsima mente tradidit, præſentiq; periculo reſpectum priſtini beneficij antepoſuit. Ille cum iam ætate deficiente magnas regni opes, quattuor & quinquaginta filiorum numero relinquens, in lectulo laberetur, Manium Manilium qui * proconſule Africam obtinebat, litteris obſecrauit, vt ad ſe Scipionem Aemilianum ſub eo tunc militantem mitteret, feliciorem mortem ſuam futuram ratus, ſi in dextræ eius complexu, ſupremum ſpiritum ac mandata poſuiſſet. Ille aduentum Scipionis fatis ſuis præcurrentibus, hæc vxori liberisq; ſuis præceperat, vnam in terris Populum Romanum Scipionis domum

A. V. DCII. Appianus i Iberico.

A. V. DCV. Liu. 50. Appia. in Libyco.

* Aliqui codices habent (pro conſul) ſed alterū antiquius.

" domum nosse, integra omnia Aemiliano se seruare,
" eum diuidendi regni arbitrum haberent: quod is statuisset, perinde vt testamento cautum, immutabile ac
" sanctum obtinerent. Tot tamq; varijs rebus se Massanissa infatigabili pietatis serie, ad centesimum extēdit annum. His & horum similibus exemplis, beneficentia generis humani nutritur atque augetur &c.
, Hæc ille. Ceterum si hæc cum Ciceronis verbis conferātur, Dubitatio in aliquibus oborietur; Neq; enim verisimile est, Massanissam tūc adeo ægrotasse quando scribit Cicero, Scipionem tanto apparatu exceptum, & cum eo vltro citroq; tam multis egisse, quæ sane à semimortuo facta non videntur. Neq; hæc quadrare videntur, quæ Massanissa refert (grateis tibi ago summe sol, quod antequā ex hac vita migro conspicio &c.) perinde loquens, ac si tum primū ad eum venisset Scipio, cùm & alias id factū scribat Valerius simul & Appianus, ante Bienniū scilicet, eumq; à L. Lucullo Consule tunc missum. Deniq; quod dicit Scipio (Regem familiæ nostræ iustis de caussis) Videtur non tam publico quam priuato officio, & potius spontè quam Regis vocatu accessisse &c. Atq; hęc studioso Lectori expendenda relinquo.

Dubitatio circa hystoriā Valerij ac Appiani, & verba Ciceronis.

Valer. Appian.

Cur potius ab hystoria quam a Somnio sit exorsus &c.

TVllianus hic noster Scipio, potius ab Hystoria, quàm ab ipso Somnio est exorsus, idq; data opera, ne scilicet si à Somnio initium sumsisset, fides ipsi rei præberetur minor, oratioq; videretur sterilior &c.

Ad quartam legionem &c.

ISstud referendum videtur ad (Tribunus) vt sententia sit, quod Scipio fuerit quartæ Legionis Tribunus, nisi tamen referri magis velis, ad Verbum (venisse) sed prius est certius tutiusq;. De ratione numero, ac or-

oblitos dicemus; & vnum tantummodo nobis Deum, non quidem Solem aut Lunam, aut aliquod Elementorum, Planetarum, astrorumue, vt illi; Sed vnum illũ, qui hæc omnia nosq; cum illis de nihilo produxit, colendum venerandũmq; suscipiemus, & illi soli honorem & gloriam tribuemus: Neq; enim est alius, vt

„ rectè contra Gentiles cecinit Sibylla: εἷς θεός, ὃς μόνος Sibyllæ.
„ ἐστὶν ὑπερμεγέθης, ἀγέννητος &c. Et alia Sibylla Dei
„ vocẽ se ad homines perferre dictitans sic ait; εἷς μόνος
„ εἰμὶ θεός, καὶ οὐκ ἔστι θεός ἄλλος &c.

Et ipse quidem Cicero Deos fictos redarguit, corũ cultus superstitiones aniles contestans, & falsis opinionibus erroribusq; implicatos esse homines queritans. Videre licebit hac de re Tertiũ ipsius de Natu. Deor. Plato etiã maximè in Cratylo, ridet Veteres illos qui Astra, & Solem, pro dijs colebant, dicit enim ibi: Cicero redarguit Deos fictos

„ φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ ἑλλά-
„ δα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ, ἥλιον καὶ
„ σελήνην καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανὸν &c. Viden-
„ tur (inquit) mihi Græcorum prisci, deos solos putasse
„ eos, quos etiã hisce temporibus Barbarorũ plurimi ar
„ bitrantur, Solem, Lunam, Terram, Stellas & Cælum

Plato reprehendit illos qui solas mundi sphęras stellasq; putant esse diuinas.

&c. Vnicum etiam per seipsum in Parmenide atq; Timæo probat esse Deum, alios nõ tam deos, quam diuinos intelligens, hinc in Parmenide, cùm ad vnum Deum retulerit compararitq; cuncta, censuit quoq; illius minimè spernenda esse nomina, in quibus cùm mira Dei recondita sint munera; non abs re in ijsdem Diuinus ille Theologus Dionysius Areopagita, vniuersa Theologiæ perquisiuit mysteria. Diony. Areop.

Caussam vero Erroris similium, patefacit Basilius Basil. in lib.
„ magnus, dum ait; Sunt qui Solem omnium eorum ἑξαμερῶν
„ quæ à terra pullulant, esse caussam arbitrantur, è pro- congress. 5.
„ fundo vim euocantem ad summa, facultatemq; tractio
„ ne caloris: ideo (inquit) non iniuria Solem præcessit
„ ornatus omnis telluris, vt & adorare Solem, tamquam
„ viuendi caussa homines illi desinant qui in errore ver
„ santur &c.

Fit fere vt cogitationes sermonesq; nostri, pariant aliquid in somno tale, quale de Homero &c.

Ennius Homericorum Poemarum studiosissimus.

VEtustissimus Latinorum Poeta Ennius, vt pretiosissimas Homeri diuitias græcas, Romano complecteretur eloquio, poematum illius perquam studiosus exstitit: Cùm autem per aliquantulum temporis, nil suo versaret animo promeretq; ore, præterquã Homerum; visus est sibi postea inter dormiendum cũ Homero in Parnasso Phocidis monte bicipiti versari, seq; affatim de fonte Castalio potare, cuius liquor poeticum ex eo bibenti adferret spiritum, vt fabulantur Poetæ, Et hoc quidem Somnium fuit tale, vt postridie Annales, præclaraq; magnorum virorum facinora cæperit conscribere. Sed istud figmentum potius quam Hystoria vera. Eiuscemodi Somniorũ rationem reddit idem Cic. 2. de Diuinatione, cùm ait: "Animus dũ languore corporis, nec membris vti, nec sensibus potest, incidit in visa varia & incerta, ex reliquijs inhærẽtibus earum rerum quas vigilans gesserit aut cogitarit &c."

Ennij Somniũ.

Somniorum ratio datur à Cicerone, ex Nono Platonis de Rep. translata.

Somniorũ caussas effectus atq; species consulto hic præterijt Commentator.

Somniorum species, caussas atq; effectus pluribus (vt à plærisq; factitatum fuit) recensere nõ voluimus, partim quidem breuitati cònsulentes, partim etiam quod veritas Somnij Scipionis, sicuti nec Ennij, ex vera aliqua hystoria probari nequeat, & deniq; quod hęc plenissimè à Theophrasto, Aristo. Macrobio alijsq; plurimis pertractata fuerint.

Arist. in lib. de Somnijs.

Africanus se ostendit ea forma quæ mihi ex imagine illius quàm ipso erat notior &c.

DIcit Africanum Auum suum, sibi ex effigie eius quam domi habebat notiorem. quàm ex ipso viso: Non enim poterat Scipio Aemilianus sui aui meminisse,

minisse, quòd vnum dumtaxat annum natus esset (vt constat ex hystorijs) dum ille mortem obiret, Lucio, Portio Lucinio & Publio Claudio Coss. Catone censore. Imaginem autem Aui in atrio domi habebat, secundum antiquam Romanorum cõsuetudinem, qui etiam suorum maiorum imagines in pompis funebribus honoris gratia præferre solebant.

Africani mors quando exstitit, quibusq; Cõsulibus.

Imago Africani.

Vides ne illam Vrbem quæ parere populo Romano, coacta per me, renouat pristina bella nec potest quiescere? &c.

CArthago populi Romani æmula perpetua, bis à Scipione Africano maiori euicta, tertio tamẽ bellum contra Romanos redintegrauit, huicq; Scipio Aemilianus cum suo exercitu obuiam iuit, illam deleuit, funditusq; euertit, & nomẽ Africani promeruit. Vide Lucium Florum lib. 2. de Tertio Bello Punico, Plinium cap. 15. Nat hyst. Plutarchum in Catone. & Aug. cap. 31. Ciuit. Dei.

Carthago Populi Romani æmula.

Florus.

Plinius.

Plutarchus.

Aug.

Deligere iterum Consul absens &c.

DE duplici Scipionis Aemiliani Consulatu, sic scribit Valer. Max. lib. 8. Tradunt (inquit) nobis „ subinde ornamenta sua Scipiones commemoranda: „ Aemilianum enim populus ex candidato ædilitatis, „ Consulẽ fecit, eundemq; cum quæstorijs comitijs suf- „ fragator Q. Fabij M. fratris filij in campum descendis- „ set, Consulem iterum reduxit, Eidem Senatus bis sine „ sorte, prius Africam, deinde Hispaniam dedit. Atq; „ hæc neq; ciui cupido, neque Senatori ambitioso, quẽ- „ admodum non solum vitæ eius seuerissimus cursus, „ sed etiam mors clandestinis illata insidijs declarauit. „ Idem lib. 4. Scipio Aemilianus, post duos inclitos cõ- „ sulatus, totidemq; suæ præcipuæ gloriæ triumphos, „ septem seruis sequentibus, officio Legationis functus

Duplex Aemiliani consulatus.

Valerius lib. 8.

Val. lib. 4.

est. & puto Carthaginis ac Numantiæ Spolijs compa- "
rare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudē, "
manubias ad patriam redundare maluisset. Itaq; cùm "
per socios & exteras gentes iter faceret, non eius Man- "
cipia, sed victoriæ numerabantur, nec quantum auri "
& argenti, sed quantum amplitudinis pondus, secum "
Liuius. adferret æstimabatur &c. hæc ille. plura de his Liuius "
lib. 50. 51. & 56.

Numantiam excindes &c.

Subuersio Numantina. Valer. DE Numantinæ ciuitatis subuersione, idem Val. Pub. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago, auitum, cognomen dedit, Consul in Hispaniam missus, " vt insolentissimos Numantinæ Vrbis spiritus, superiorum Ducum culpa nutritos confunderet, eodem tē- "
Edictum Scipionis Aemil. egregium. poris momento, quo castra intrauit, edixit, vt omnia " ex his quæ voluptatis caussa comparata erant auferrē- " tur, ac summouerentur. Nam constat tum maximū " inde institorum & lixarum numerum, cum duobus " millibus scortorum abijsse. Hac turpi atq; erubescē- " da sentina vacuefactus noster exercitus, qui paullo an- " te metu mortis deformi se fœderis ictu maculauerat, " erecta virtute, acrem illam & animosam Numantiam " incendijs exustam, ruinisq; prostratam solo æquauit. " Itaq; neglectæ disciplinæ militaris iudicium Mancini " miserabilis deditio, seruatæ merces, speciosissimus Sci- " pionis triumphus exstitit &c. Plura de obsidione ac "
Liuius. Plinius. Florus. August. excidio Numātino reperire licebit apud Liuium lib. 57. Apud Plinium cap. 58. ac 59. de viris Illustribus, Lucium Florum de Bello Numantino lib. 2. B. Aug. cap. 21. tertij Ciuit. Dei. De More vero Triumphi vi-
Ratio triūphi. deri poterit Liuius 34. &c. Ostendas patriæ lumen ani- " mi, ingenij consilijq; &c. Connexio optima: nam ani- " mo alicui studemus, ingenio res excogitamus atq; perficimus, Consilio decernimus, quibus si coniungatur Industria, perfecti quid resultabit, siquidem ea elaboramus &c.

Nam cum ętas tua ſeptenos occies Solis amfractus redditusq́; conuerterit, duoq́; hi numeri quorum vterq́; plenus &c.

OCtonarius numerus plenus eſt, perfecto ſphærarum numero, vt Plato in Timęo hiſce verbis probare videtur: ,, ἐςὶ δὲ ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι, ,, δυνατὸν, ὅγε τέλεος ἀριθμὸς χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν ,, πληροῖ. ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ,, ἄλληλα ξυμπερανθέντα τάχη σχῇ κεφαλὴν. &c. Mathematici ſentiunt Octonarium plenum perfectumq́; dici, eo quod Octo ſoliditatem illam cuborum præſeferant, citra vacuitatem & fucum omnem cuncta oſtētantes atq́; exponentes, qualem quoq́; ciuilem Reip. decet eſſe principem ac ſubditum, candidum, ſyncerum, & apertum, non aliud in pectore habentem, aliud ore loquentem. Neq́; abs re Pythagorici hunc numerū Iuſticiam appellarunt. Si quis plura de illo noſſe voluerit, legere poterit Nicomachum Geraſinum περὶ ὀκτάδος, Macrobium in hunc locū, & Cælium Rhod. lib. 22. cap. 13.

Octonatius plenus. Plato in Timęo. Alia ratio plenitudinis ac pfect. Octonarij Mathematicorum. Ciuilis Reip. Princeps. Pythag. Nicom. Geraſſinus. Cæl. Rhod.

Septenarij Numeri plenitudo atq́; perfectio &c.

SEptenarius Numerus plenus perfectusq́;, ſecūdum Tullium eſt, eo quod omnium rerum ſit nodus atque perfectio, tum quod Mineruæ hoc eſt fortitudini ac ſapientiæ (vt volunt Poetæ) ſacer ſit; tum quod Numero Deus impare gaudet, quippe qui mundus eſt atq́; purgatus & perfectioni (teſte Hieronymo) conueniēs. Conſtat autem hic Septe. vel ex vno & ſex, vel ex duobus & quinq́;, vel ex tribus & quattuor, numeris quoque imparibus. Ex qua collectione probat Macrobius & quidem valde prolixè tanta maieſtate æquè facundum, alium numerum reperiri nullum. Quod ſi quis plenius latiusque ſeptenarij vires atque myſte-

Septenarius numerus plenus atq́; perfectus. Hiero. in Apolog. contra Iouiniaaum. Septenario, nullus numerus fęcundior.

ria sibi explicari velit, hæc quæ subijciuntur, paucis accipiat.

Παρέκβασις εἰς τὸ Ἐγκώμιον Ἑπτάδος.

Encomiũ Numeri Septenarij.

QVibus trophæis quantisq; laudibus semper fuerit celebratus, tum quanta maiestate habitus fœcundus numerus Septenarius, non modo humanæ sed & diuinæ huius laudibus atq; mysterijs plenæ, commonstrant litteræ: Et vt ab his quæ diuina nobis tradunt oracula incipiam. Quis neget Deum ipsum huius numeri auctorem, illiq; à Deo, maiestatis atq; mysterij contributum esse plurimum? Hoc Veteris simul ac Noui testamenti exemplis cõprobare haud erit difficile. Et primo quidem Septenarij ordine atq; signo, mundanæ machinæ & quidquid eius continetur ambitu creationem perfectionemq intelligi attestatum est perfectissimè à Moise, vti Genesis 2. cap. vbi legitur Deus postquam perfecti essent cæli & terra, omnisq; ornatus eorũ, requieuisse die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, eidemq; benedixisse ac sanctificasse; quia in ipso cessauerat ab omni opere suo &c. & Genesis 4. cap. ipse Deus in peccatorum punitione eorumdemq; remissione, Septenarij viribus vtitur, ait enim ibi: Omnis qui occiderit Caim, septulũ punietur &c. Sed Genesin prætereo, ac ex alijs scripturæ locis, testimonia requiro; Habemus in Leuitico, vbi Moises de purgatione mulierum, læpræq; liberatione, ac potius criminum totius populi remissione agit, septenarij mentionem fieri, maximè. 12. 13. & 14. capitibus. Deuteronomij quoq; cap. 15. ac 16. remissionis pæni tentiæq; tempus septenario numero exprimitur. Et 4. Regum cap. 5. in purificatione à Lepra aut potius a peccato ab Helizeo propheta septies lauari Naman, mandarit &c. Atq; hoc numero & Dei designatur prouidentia, vt Zachariæ cap. 4. vbi septem oculi qui discurrunt in vniuersam terram adtribuuntur Deo &c.

Plura de Septenario obseruatu dignissima.

Gen. 2. capite.

Gen. 4.

Leuit. c. 12. 13. & 14.

Deut. c. 15. & 16.

Regum 4. c 5.

Septenario Dei designatur prouidentia.

Quod si ex Nouo testamento Septenarij perfectionẽ quis

quis nosse cupiat; videre poterit ea quæ Christus Lucę 17. & Matthæi 18. potissimum, de remittenda culpa septies, & septuagies septies, commemorat. Neq; abs re Iohannes in Apoc. scribit à se, visas 7. Ecclesias, 7. angelos, septemq; candelabra, cùm hoc numero & vera religio, verusq; Dei significetur cultus. Lucæ 17. Matth. 18. Apoc. cap. 2. 8. & 11.

Quid plura? Et si alijs scripturæ locis plurimis numeri Septenarij declarari posit maiestas, cõmonstrariq; perfectio, tamen quæ iã in medium adducta sunt, talia merito habenda atq; censenda sunt, vt instar mille aliorũ esse queant. Quare ab ijs supersidebo, quæq; ab alijs etiam Scriptoribus gẽtilibus de huius Numeri diuinitate tradita fuere, ob oculos studiosorum proponere conabor. Pythagoras in primis ac Plato ratiocinando collegerunt, cælum sydera eorumq; orbes, harmonica mensura, ex septeno numero creatos atq; compositos, cùm ex septẽ sonis vocibusq; (vt volunt) constent, quibus scilicet ipsorum magnitudo mensuretur ac motus, totq; sint orbes cæleste machinam ducentes, tot Planetæ, ex quorum sphæricali motu, tempus percipitur, quod idem septenario est dimensum, vt & partes animæ ex eo haberi secerniq; idẽ differit probatq;, maximè autem in Timæo Plato. quẽ inter alios plurimos secuti in hoc sunt, Plotinus, Plutarchus, Porphyrius, Cicero, & Macrobius in Somnio Scipionis, qui multa de huius numeri præstantia refert, & inter alia quidem, (vt paucula ex eo depromam) dicit, Numerum hunc operari & conceptionem hominis & formationem & ortum, mox & incrementum, dentium compagines, dispositionem partesq; membrorum. Et tot ex hoc numero hominis sunt ætates, nam Septenarius multiplicatus, facit ætatem, quę propriè perfecta & habetur & dicitur, adeo vt illius ætatis homo, vtpote qui eam perfectionem & attigerit & nec dum præterierit, & consilio aptus sit, nec ab exercitio virium alienus habeatur, Tot quoq; corporis partes primæ. Et officia septem intra hominem, à græcis nigra membra nuncupata, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, & renes duo, septemq; venis & meatibus deputata, guttur, stomachus,

Pythag. ac Plato. probant perfectionem septenarij.

Plato. Plotinus. Plutarc. Porphyr. Cicero. Macrob.

machus, aluus, vesica, Et principalia intestini tria, Septẽ gradus corpus sustinentes, vti medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis, Septem membrorum compages, caput, pectus, manus duæ, pedes duo & pudend. Totidem capitis foramina sensibus subseruientia, vt oris, oculorum, aurium, & narium. Pręterea septem horis depresso halitu homo deficit, vt absque cibo, diebus totidem, ęgris quoq; corporibus, morbus periculum, sanitatemue denunciat, secundum Hippocratẽ aliosq; medicos: Vnde Galenus in lib. de Num. Proculusq; ac Celsus, etiam probant ægritudinem quamlibet, numero Septenario augeri, atque minui, dignosci conficique &c. Huc referri possunt & ea, quæ eleganter Lactantius in hæc refert verba; Mundum Deus, & hoc naturæ admirabile opus (sicuti arcanis sacræ scripturæ continetur) sex dierũ spatio consummauit, diemq; septimum, quo ab operibus tequieuit, sanxit: hic est autem dies Sabbathi, qui Hæbreorum lingua à numero nomen accepit; vnde Septenarius numerus legittimus & plenus est; Nam & dies septem sunt, quibus per vicem teuolutis, orbes conficiuntur annorum, & septem Stellæ quę non occidunt, & septem sydera quę dicuntur errantia, quorum dispares cursus & inæquales motus rerum ac temporum varietates efficere creduntur &c. Atq; hę Numeri illius, sunt virtutes, ea maiestatis laudisque eiusdem insignia, quæ profecto tot tantaq; sunt, vt maiora esse nequeant. Interim Si cui hęc non suffecerint, præter illa quæ hactenus adduximus, legere poterit D. August. de Ciuitate Dei lib. 11. c. 31. & Ludouicũ Viuem, in idem caput. Diuũ quoq; Hier. in apologia contra Iouinianũ. Præterea Platonem, sed in Timæum potissimum, & præter hos Plutarchũ, καὶ τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς Nicomachi Gerasini, præsertim vbi περὶ ἑπτάδος καὶ ὀκτάδος agit, ac denique Rhodeginum lib 4. Antiquitatũ cap. 24. & lib. 22. cap. 12. Atque hæc de plenitudine ac perfectione Septenarij & Octonarij (ex quorum permixtione, quodcumq; generatur, perfectum censetur: nam impar numerus Mas, & par femina nuncupatur) abundè

Hypocrates. Galenus. Proculus. Celsus.

Lact. lib. 7. de diui. pręmio c. 14.

August. Lud. Viues. Hieronymus. Plato.

Gerasinus. Rhodeginus.

abundè dicta sufficiant. Intelligit autem Tullius (ut ad sententiam reuertamur) per Septenos octies solis amfractus reditusq;, quinquaginta & sex annos, Amfractum solis, eiusque reditum, annum vocitans: Amfractum quidem propter ambitum Zodiaci, Reditum vero, quia eadem signa, per singulos annos certa metitur lege. Mortuus autem est Scipio, M. Aquillio & C. Tuditano Coss. eodem anno quo hæc in Somnio dicta finxit Cicero.

Amfractus solis, eiusq; reditus.

Quo tempore quibusq; Cósulibus mortuus sit Scipio.

Summam tibi fatalem confecerint &c.

PRæsagit Scipioni Africano suam mortem, quàm obiturus est anno sexto & quinquagesimo, siue vt ipse dicit; Cùm ætas ipsius septenos octies, solis amfractus reditusq; conuerterit &c. Atq; hanc summam fatalē, hoc est, à fatis præscriptam μεμοιραμένην adserit.

Mortis Scipionis Aemiliani præsagium.

Dictator Rempublicā constituas opportet &c.

DIctator secundum plærosq; à Cos. dicebatur, creabaturq; silentio noctis: Summus erat olim apud Romanos magistratus, quippe, à quo non erat ius prouocandi. Differebat vero (vt rectè à Polybio. 3. hist. traditur) eo Dictator à Consule, quod Consulem duodecim secures præcedebant, Dictatorem vero quattuor & viginti. Præterea illos necesse erat multa referre ad Senatum: At huius erat summum liberumque imperium, sub quo mox ceteri magistratus cessabant, exceptis Tribunis &c. Hæc Polybius. Potiturus haud dubiè Scipio Aemilianus Dictatura erat, si manus suorum propinquorum effugere potuisset.

Dictatura.

Polyb. lib. 3. hyst. ponit Differentiam inter Cos. & Dictatorem.

Si impias propinquorum manus effugeris &c.

PEr propinquos Gracci fratres potissimum intelligendi sunt, quorum insultus nec euitare nec effugere potuit: Mortuus enim in cubiculo inuentus est,

Mors Scip. Aemiliani.

cum

cum die præcedenti optimè valuiſſet, de hoc in Lælio Cicero: Scipio ſenatu demiſſo, domum reductus ad "veſperam eſt à patribus cōſcriptis à populi Romani * "Socijs Latinis, pridie quam exceſsit è vita, vt ex tam "alto dignitatis gradu, ad ſuperos potius quam ad in- "feros videatur perueniſſe &c. Sunt qui exiſtimant, cū à propria ſua vxore Sempronia Graccorum ſorore, veneno eſſe necatum, vti Liuius lib. 59. Plutarchus tamen in vita Graccorum, huic adeo nefando crimini obnoxium fuiſſe arbitratur Fuluium quendam Caij Gracci collegam, hominem valdè ſeditioſum, neque carebat apud alios ſuſpicione Caius. Verba Plutarchi, hæc ſunt; At cum Scipio Africanus, nulla liquida de "cauſſa deceſsiſſet, atque notę in cadauere plagarum, im "preſsionisq; elucerent (vt in illius hyſtoria retulimus) "calumnia magna ex parte in Fuluium recidit ipſius "hoſtem, qui eodem die Scipionem pro Roſtris proſci- "derat conuitijs; Neque vero exſors Caius ſuſpicionis "fuit. Facinus vero adeo nefandum, in virum principē "& ſummum ciuitatis conceptum, impunitum manſit, "neque de eo acta quæſtio, ſiquidem interpellauit & "oppreſsit plebs cognitionem Caio metuens, ne ſi de "cæde illius inquireretur, noxæ reperiretur affinis &c. "Interim ſit quidquid ſit, propinquorum ſuorum ma- "nus non effugit. Obijt enim eodem anno, quo ſepte-nos octies ſolis amfractus reditusque conuertiſſe eius ætatem finxerat Tullius, M. Aquillio, & C. Tuditano Coſſ. Plura de eius interitu videre licet, apud Appianū lib. 1. de Bellis ciuilibus, Plutarchū in Apophtheg. & in Graccis. Velleium lib. II. Epiſtolarum, ad Q. fratrem &c.

Cicero in lib. de Amicitia.

* Alij codices habent à Populo Rom. Socijs & latinis (ſecūdum vſum) P Socijs Latinis, quam lectionē amplectuntur doctiores.

Titi Liuij ac Plutarchi ſententiæ de morte P. Scip. Africani.

Obitus Scipionis Aemiliani.

Appianus.
Plutarchus.

Sed quo ſis Africanæ alacrior ad tutandam Remp. ſic habeto; Omnibus qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cælo definitum locum, vbi beati ſempiterno æuo fruantur &c.

Scipio

SCipio Africanus iunior, prçuidés mala quç sibi in hac vita, post omnes labores Reip. nomine susceptos, imminebant, repetensq; nefandum illum Scipionis Nasicæ casum, quippe qui patriam à tanta perturbatione, rerumq; discrimine liberauerat, propter ciuiũ tamen odium coactus esset in exsulium ire; Sciscitabatur ex suo Auo, quis rectè factorum debeat sperari fructus; Cui ille respondit, ex rebus præclarè hic gestis, nullam debere peti gloriam humanam, nullas opes, nullumq; ab hominibus præmium, sed summum ac æternum illud bonum exspectandũ esse, quo perfruentur omnes illi, qui benè beateq; vixerint, ac de Rep. meriti fuerint. Et hæc quidem egregia est Sententia.

Scipio Nasica exsulij clade multatus.

Prçmia bonorum.

Spectant autem quæ à Tullio iam sunt adducta eò, vt Animç immortalitatem probare incipiat, quam inter Philosophos gentiles, cõfessus est Pythagoras, & post hunc Plato, diuersis in locis; præsertim in Phædro, Phçdone, Menone, Apologia, Timæo, ac libris Legũ, & de Rep. post quẽ etiã Aristoteles, licet permulti contrariũ esse verum dictitent. Is enim lib. II. de Generatione animalium, inter alia adserens, quasdam animas esse quæ aliunde in corpus veniunt, quasdam etiã quæ intra corpus fiunt, postea ratiocinando infert Animũ
„ esse diuinum, cum ait: λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύ-
„ ραθεν ἐπιϊέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον &c. Restat (inquit) vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis &c. Et tertio libro de Anima, dicit manife-
„ stè τὸν νοῦν μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, immortalem perpetuamq; &c. Quibus quid clarius euidentiusq. esse queat non video; Quare grauiter errant, qui vanè dictitant Platonem, Ciceronem, & Aristotelem, non agnouisse Animorum immortalitatem, & omniũ grauissimè delirant illi, qui animas nostras simul cũ corporibus interire arbitrantur. quales exstitisse dicuntur, Epicurus, Metrodorus, Aristippus, Hieronymus Rhodius, & id genus alij plures, qui se voluptatibus corporis dediderunt, earumq; se quasi ministros impulsu libidinum (vltra sperantes nihil) præbuerunt, summumq;

Animorum immortalitas probatur.

Arist. lib. 2. De Generat. Animalium, cap. 3.

Arist. lib. 3. de Anima cap. 5.

Falsum est Animam hominis simul interire cum corpore

summumq; in voluptate perniciosa, bonum constitue runt, Et vtinam eiuscemodi nefarij ἄθεοὶ, non reperirentur hodie alij.

Consilia hominum, cætusq; iure societati &c.

Ciuitatis definitio.

HIc Ciuitatis definitionem suis partibus, ac numeris absolutissimam ponit Tullius; Circa qnam aduertendum est, illum non tantum dicere Ciuitates esse consilia, cœtusque hominum, sed insuper, adhuc aliam adijcere clausulam (iure sociati) & recte, quia alias definitio eo quod plena non sit, cauillis obnoxia foret: nam & seruilis quondam, & gladiatoria manus (vt rectè inquit Macrobius) consilia, cœtusque hominum fuerunt, sed non iure sociati: Illa autem sola est iusta multitudo, cuius vniuersitas in legum consentit obsequium: atque hæc definitio à Platone ponitur in lib. de Repub. Et ab Aristotele 3. Polit. cap. 1. 2. & 4. vbi De Ciuitate, Ciue, Ciuitate donatis, ac magistratibus &c. pulcerrimè disserit, non obscurè insinuatur.

Macrobius.

Plato, Arist.

Harum Rectores, & Conseruatores, hinc profecti, huc reuertuntur &c.

Poëtarum ac Philosophorũ gentiliũ error.

MAxima Poetarum, Philosophorum que gentiliũ caterua, finxit mortuos omnes ad inferos detrudi: Verũ Cicero cum Platone, secus sentiens, dicit omnes eos, qui Rebuspublicis bene prefuerint, post suum ex hac vita discessum, recta in cœlũ veluti domiciliũ, germanamque suam patriam redire, ex qua in hoc misero orbis theatro tamquam in exsulium quoddam demissi sunt. Est siquidem animorum origo cœlestis (secundum eos) non ex terra, quos procreator ille mundi (vt dicit Cicero) è sua mente, & diuinitate genuit. Hoc ipsum & quint li. Tusc. Quæst. sensisse videtur, " dum ait: Humanus animus decerptus ex mẽte diuina, " cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, " comparari potest; hic igitur si est excultus, & si eius " aciés

Cic. lib. 5. Tusc. quęst.

„ acies ita est curata, vt ne cæcetur erroribus, fit perfecta „ mens, id est absoluta ratio, quod est idem virtus &c. „ Idem alibi, Est animus cœlestis ex altissimo domici- „ lio depressus, & quasi demersus in terram, locum di- „ uinæ naturæ, æternitatique contrarium &c. Quod si „ igitur animarum origo de cælo manat, est quod homi „ nis animus, quamdiu est corpori vnitus, sæpius secum „ reputet, recognoscatque vnde ortus sit, & de quo fonte „ venerit &c. Hæc ille. Cæterum hæc non ita accipienda sunt, quasi verè ex Dei substantia, Animæ sint, aut ante sua corpora factę, in quæ (vt ipsa rei veritas cõtra Gentiles illos testatur) creando infunduntur, & infundendo creantur. Constat siquidem, Deum primo ipsas res in perfecto statu naturæ, sicuti species naturalisque condicio exigebat instituisse: pars autem naturalem non habet perfectionem extra totum, ergo neq; anima extra corpus fit. Atq; hæc Christianorũ Theologorum vera est sententia, gentilium cæcitatem confundens, & nostram Religionem constabiliens.

Cic. in lib. de Senectute.

Animarum origo atq; creatio vera.

Nota.

Hic ego etsi eram perterritus, non tam mortis metu, quam insidiarum à meis, quæsiui tamen viueret ne ipse &c.

ACcedit ad Quęstionem de immortalitate Animę, de qua inter priscos Philosophos magna exstitit dubitatio, seq; aliquo modo, sub persona tamen Scipionis, ambigere significat: Sententia autem interrogationis talis esse videtur: Nos putabamus hominis animã simul cum suo interire corpore, (dicit enim quos nos exstinctos arbitrabamur, quod vero interit, finem vitæ accipit, necesse est) Quare dic quæso; num pater Paullus, alijq; ad huc supersint? &c.

Immortalitas Animorum.

Immo vero (inquit) ij viuunt, qui ex corporũ vinculis, tamquam è carcere euolauerunt, vestra vero, quæ dicitur vita, mors est &c.

Hoc

Cic. lib. de Senectute.

HOc ipsũ alio in loco, alijs expreſsit verbis, inquiẽs: " Ego veſtros patres P. Scipio tuq; C. Læli viros " clariſsimos, mihiq; amiciſsimos viuere arbitror, & " eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita nominanda, nam " dum ſumus in his incluſi compagibus corporis, mu- " nere quodã neceſsitatis atq; graui opere perfungimur: " eſt enim animus cœleſtis ex altiſsimo domicilio depreſ- " ſus, & quaſi demerſus in terram, locum diuinæ naturę, " æternitatiq; contrarium &c. Illud ipſum quaſi ad verbum refert in Platonis Gorgia Socrates, dum ait: καὶ γάρ τοι θαυμάζοιμ᾽ ἂν, εἰ Εὐριπίδης ἀληθῆ, ἐν " τοῖς δε λέγει, λέγων, τίς δ᾽ οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι " κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν, καὶ ἡμεῖς τῷ ὄντι ἴσως " τεθνάμεν. ἤδη γὰρ ἔγωγε ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς νῦν " ἡμεῖς τέθναμεν, καὶ τὸ σῶμα ἐστὶν ἡμῶν σῆμα. Quis " (inquit) nouit, virum viuere quidem mori ſit, mori " autem viuere: & nos forte reuera mortui ſumus, " audiui iam equidem à ſapiente quodam, nos nunc " mortuos eſſe, corpusq; noſtrum ſepulcrum eſſe nobis " &c. Atq: illud fuit reſponſum ad quæſtionem à Nepo- " te propoſitam, admodum graue, taliq; Viro planè di- " gnum.

Plato in Gorgia.

Egregia Platonis ſententia.

Quintu adſpicias ad te venientem patrem Paullum &c.

Paullus Aemilius.

HIc Paullus Aemilius (vt ex varijs conſtat hyſtorijs) filius fuit Lucij illius Paulli, quem conſulem, Annibal Carthaginenſium Dux, apud Cannas interfecit, fuitq; pater Scipionis Africani iunioris, quem ob ſingularem de ipſo ſpem conceptam in filium adoptauit. Hic itaq; vita defunctus prodire fingitur, & cum ſuo filio adhuc viuo loqui, agendaq; præſcribere.

Niſi enim Deus is, cuius eſt templum omne hoc, quod conſpicis &c.

Vniuerſus Mũdus quo pacto Dei Templum dicatur.

VNiuerſus mundus Dei templum appellatur, idq; propter illos, qui putant aliud nihil eſſe Deum, quàm

quam cœlum ipſum, cœleſtiaque illa, quæ cernimus. Atq; ideo vt ſummi præpotentiam oſtenderet, vix poſſe intelligi, numqnã videri: quidquid humano ſubiici tur adſpectui, vocauit eius Templum, qui ſola mente concipitur: vt qui hæc veneratur vt templa, cultum tamen debeat maximum ipſi cõditori, ſciatq; quisquis in vſum huius templi inducitur, ritu Sacerdotis ſibi viuendum eſſe. & ſic Macrobius. Macrobius.

Stellæ rotundæ, & globoſæ diuinis mentibus animatæ &c.

VIdetur hoc in loco, Tullius idem ſenſiſſe cum Veteribus illis, qui arbitrabantur, Stellas aliaq; Cœleſtia corpora, iccirco animata dici, quod eorum opus effectiuè, vt loquuntur, ab Anima proficiſcatur: ſed contrarium eſſe verum, res ipſa docet, veritasq; confirmat: Sunt enim (vt quiuis nouit) corpora inanimata neq; vegetatiuam, neq; ſenſitiuam, neq; rationis participem animam habentia. Et poſito quod ab Agẽtibus intellectualibus ſiue motricibus (vt loquuntur Phyſici) moueantur, non tamen hinc conſequitur, illa corpora animata eſſe: Non enim intelligentiæ illæ cæleſtibus coniunguntur orbibus, vt corpori humano per vnionem eſſentialem cõiungitur Anima, cum hoc angelicis illis intelligentijs repugnet: ſed coniungitur intelligentia motrix (ſecundum veriorem ſententiam) orbi moto, ipſumq; ſecundum virtutem mouet dumtaxat; Vnde colligitur, Corpora cœleſtia, obid nullo pacto dicenda animata, non magis, quam Nauis eſt appellãda animata, quod in ſe directorem Nautam habeat, cum eadem videatur quaſi ratio. Dicuntur verò ob id Stellæ animatæ, eo quod numquam agitare, & micare ceſſent. atq: ideo videntur habere animam, ſecundum quam perpetuo viuant, &c. Dicuntur eædem ſtellæ Rotundæ, atq; globoſæ, à figura Sphærica, quam ipſe Deus mundo, & aſtris, tamquam magis decoram, & cœlo cognatam cõceſsit: cuius ſententiæ in Timęo

Stellæ cæleſtiaq; corpora inanimata.

Occurrit̃ obiectioni tacitæ.

Quo pacto Stellę dicantur animatæ.

Stellæ rotundæ atq; globoſæ.

Plato i Timæo. Auctor est Plato, dicit enim: Καὶ σχῆμα δὲ ἔδωκεν αὐτῷ " τὸ πρέπον, καὶ συγγενὲς, τῷ γὰρ τὰ πάντ' ἐν αὐτῷ " ζῶα περιέχειν μέλλοντι ζώῳ, πρέπον ἂν εἴη σχῆμα τὸ " περιειληφὸς ἐν αὐτῷ πάντα ὁπόσα σχήματα, διὸ καὶ " σφαιροειδὲς, ἐκ μέσου πάντῃ, πρὸς τὰς τελευτὰς ἴσον " ἀπέχον κυκλοτερὲς αὐτῷ ἐτορνεύσατο, πάντων τετε- " λεώτατον ὁμοιότατόν δὲ αὐτὸ ἑαυτῷ σχημάτων &c. "

Arist. de cælo. Et huius sententiæ videtur esse Aristoteles lib. 2. de Celo cap. 9. & 11. aliją; complures.

Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum &c.

Plato in Phædone. HOc ex Phædone Platonis sumsisse videtur, vbi inter cetera, diuinus ille Plato dicit homines es- " se sub assidua Dei custodia, neq; licere nisi quando " Deus voluerit, hinc migrare. locum legere licebit. " Idem ferè primo Tusc. quæst. de Catonis morte lo-

Cicero in Tusc. quens habet Cicero, in hæc verba prorumpens. Cato " autem sic abijt è vita, vt caussam moriendi nactum se " esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis " Deus, iniussu hinc nos suo demigrare, cũ vero caussam " iustam Deus ipse dederit (vt tunc Socrati, nunc Cato " ni sæpe multis) ne ille quidẽ medius fidius vir sapiẽs, " lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec " tamen illa vincula carceris ruperit (leges enim vetant) " sed tamquam a magistratu, aut ab aliqua potestate le- " gittima sit à Deo euocatus, atq; emissus exierit &c. "

Cato maior. Simile etiam in Catone maiori pręcipitur ex sẽtẽtia Pythagoræ: Non esse iniussu Imperatoris, id est Dei, " è præsidio, & statione vitæ decedendum &c. Huc refe- " runtur ea, quæ sub hac verborum forma commemo-

Lact. lib. 3. de falsa sapientia cap. 18. rat Lactantius Firmianus. Si homicida (inquit) nefa- " rius est, qui hominis exstinctor est, eidẽ sceleri obstri- "

ctus -

„ ctus est, qui se necat quia hominem necat: immo verò „ maius esse id facinus existimandum est, cuius vltio soli „ Deo subiacet: Nam sicut in hanc vitam non nostra „ sponte venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, „ quod tuendum nobis adsignatum est, cuiusq; iussu no- „ bis recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit „ tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti &c. Hinc quoq; Aristoteles in Ethicis describens quid sit Fortitudo, quisue vir fortis, dicit, Mortem sibi consciscere ob „ fugiendam paupertatem, aut amorem, aut molestum „ aliquid, minimè esse viri fortis, sed potius timidi: est „ enim (vt ait) mollitudinis, laboriosa fugere, neq; ve- „ rò quia res est honesta mortem oppetit, sed quia malũ „ fugit. Idem lib. 5. Ethicorum, cap. XI. In Remp. iniuriũ „ esse, dicit illum qui seipsum necat. &c. Et Plato IX. de „ legibus, vult istis solitariam fieri sepulturam, vbi alius „ nemo condatur. Deinde in his locis sepeliri, quæ de „ duodecim regionis partibus vltima, deserta, ac innominata sunt: Sic obscuros, vt nec statua nec inscripto „ nomine sepultura notentur &c.

Arist. lib. I. Ethic. sub finem capituli septimi.

Arist. lib. 5. Ethic. cap. XI.

Plato, nono de Legibus.

Interfectoribus suiipsorũ quæ debetur pœna.

Sed sic Scipio. Vt auus hic tuus, vt ego &c.

PAter Paullus Scipioni filio domestica Exẽpla proponit, & ut fideliter ipsius, auiq; insistere velit vestigijs, admonet.

Iustitiam cole, & pietatem, quæ cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria, maxima est &c.

QVod hoc in loco ait Cicero. Pietatem in patriã esse maximam, vel hinc verum esse conuincitur, quod nomine Patriæ, parentes, propinqui, & ciues vt plurimum comprehendãtur, neq; illi tantũmodo qui iam sunt, verum etiam ipsi posteri: Virtus enim quanto pluribus prodest, tanto præstantior habetur. Pulcrè de iustitiæ, pietatisq; cultu, apud Platonem in Timæo dissleritur, quem studiosè lustrabit diligens Lector.

Pietas in Patriam maxima.

Patria quos cõplectatur.

Plato in Timæo.

Erat autem ille ſplendidiſsimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos (vt a Graiis accepiſtis) orbem lacteum nuncupatis &c.

γαλαξία ſiue orbis lacteus.

CIrculus quidam qui à candore, quo fulget, Græcis γαλαξία, Latinis orbis lacteus dicitur, in cęlo apparet ſereno aere, in quo agmina minorum Stellarum ſunt denſiſsima: vnde fit vt propter denſum illum fulgorem, lactis ſpeciem præſeferant. Ariſtoteli tamen viſum eſt γαλαξίαν videri propter receptionē luminis, in exhalatione calida, ſicca, & rara. Sed nos omiſsis eiuſmodi coniecturis, id, quod probabilius, veriſimiliusq; apparet, libenter nobis amplectendum, ſequendumq; ducemus. Huius longitudinem volunt cingere, ac circumire cœlum totum, neq; enim totus à nobis conſpicitur, abſceditq; à ſedibus noſtris lōgiſsime, dum in Boreales, Auſtralesq; tractus ſe immergit.

Ariſtoteles lib. περὶ τοῦ κόσμου Et lib. pri. Meteor. cap. 8. vbi variæ priſcorū opiniones adducuntur.

Erant autem illæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus; & eæ magnitudines, quas eſſe numquam ſuſpicati ſumus &c.

Admiratio de Stellis.

VVlt dicere, quòd duo potiſsimum in Stellis ſit admiratus, quarūdam ſcilicet Nouitatem, & omniū Magnitudinem: De Nouitate quidem agit, dum dicit, (quas numquam ex hoc loco vidimus) Cauſſa vero quòd non omnes Stellæ à nobis videantur, hæc eſſe videtur, quia locus noſtræ habitationis ita poſitus eſt, vt quædam ſtellæ numquam ex ipſo queant videri: & huius hæc eſt ratio, quia pars illa cœli, in qua ſunt, numquam hominibus hic in terra habitātibus plenè apparet. De quibus, plura apud Macrobiū. Alterum quod ipſum in admirationē rapuit, eſt de ſtellarum magnititudine, dicit enim: (Et hæ magnitudines omnium quas nūquam ſuſpicatiſumus &c.) Antea quippè

Stellarum Nouitas.

Stellæ non omnes viſuntur.

Macrob.

Stellarum Magnitudo.

uumquam

numquam induci potuit, vt hoc de ſtellarum magnitudine admirabili crederet, quod ex apodixi oculari poſtea cognouit. Rationem autem cur nec ipſe, nec alius quiſpiam credere potuerit, tantam ſtellarum omnium magnitudinẽ, hiſce verbis adſignat Scipio, dum ait:

Stellarum autem globi terræ magnitudinem facilè vincebant &c.

PHyſicorum ſententia hæc eſt; Quod ſi totus globus terræ, fingatur poſitus in ipſo firmamento ſtellarum lucere, ſicut Stellæ eidem firmamento infixæ, planè ob nimiam ſuam paruitatem, non poſsit ab hominibus videri, quemadmodum & plurimę ſunt Stellæ, alijs minores, quæ ob exiguitatem ſuam, nobis numquam apparent. Sunt enim (ſi modo Aſtronomorum ſit credendnm ſcriptis ac dictis) Minimæ Stellę quę à viſu noſtro notari diſtinguiq; poſſunt, maiores tota terra, decies & octies. Quod ſi verum ſit de ijs, multo nobis hoc ipſum credibilius veriſimiliusq; videri debet de maioribus. Ad hoc autem facilius intelligendum meliusq; credẽdum, Noſſe debemus omnes, iuxta Sententiam Ptolomæi & Alphragani, aliorumq; plurium Aſtronomorum, Stellas ipſius Firmamenti, in ſex Magnitudinum differentias diſtingui. Primæ ſiquidem magnitudinis (vt ipſi adſerunt) ſunt numero ſedecim, quarum quælibet eſt maior tota terra, centies & ſepties. Secundæ magnitudinis. 45. numero, quarum vnaquæq;, magnitudine totum terræ ſuperat globum, nonagies. Tertiæ magnitudinis eſſe dicuntur, ducentæ & octo, ſeptuagies & bis tota terra maiores. In quarta magnitudine ducentas & ſexaginta quattuor, cõſtituunt Stellas, quinquagies quater terra maiores. Ad quintam magnitudinem referuntur ab ijs ducentæ, decem & ſeptem, quarum ſingulæ terram ſua magnitudine excedunt trigeſies quinies. Sextæ magnitudinis Stellæ ponuntur 249. & ſingulæ tota terra ſunt maiores decies & octies &c. Atq; hæ ſunt

Stellarum Magnitúdo Terrã vincit.

Aſtronomorũ Sentẽtiæ de magnitudine Stellarum.

Ptolomęus.
Alphraganus.

Sex Differentiæ magnitudinũ Stellarum.

Stellæ minimę hominũ cõſpectui expoſitę.

sunt minimè visibiles, quas obseruarunt Astrologi: De quibus dicitur ab illis, quod minima Stellarum « quæ visu discernuntur, sit maior tota terra: Sunt au- « tem præter has & aliæ incerto numero, quæ visu non notantur, quarum numerum nouit ipse, qui numerat « multitudinem Stellarum, & omnibus eis (vt loquitur « Psaltes) nomina vocat. atq; ex his patet, rectè à Tul- « lio in loco adducto dici; Stellarum globos terræ ma- « gnitudinem excessisse; Et hoc ab Aristotele comproba tum est lib. 1. Meteor. cap. 3. Tota.n.terra in compara tione ad firmamentum, nihil est aliud quàm punctum siue centrum. De exiguitate Terræ, videri poterit Aristoteles lib. 2. de Cælo cap. 14. siue vltimo, vbi inter alia, dicit ex sententia Mathematicorum, Terram cingi 400. stadiorum milibus &c.

Psalmo 146. Aristoteles. Terra punctum ac centrum. Terræ angustia.

Nouem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia: quorum vnus est cælestis extimus, qui reliquos complectitur, summus ipse Deus &c.

IN numero Sphærarum illarum, quas cælestis contiNet machina, non omnes consentiunt; Fuere siquidem Physici qui octo tantummodo orbes constituerint, septem scilicet orbes planetarum (de quibus deinceps consequenter agitur) & primum orbem mobilem, id est sphæram stellarum fixarum. Qui hos secuti sunt, vnam adhuc addidere, & nouem constituere: Comperiebant siquidem veris rationibus, Sphærá octauam ex motu stellarum in ea fixarum, duplici moueri motu, nimirum ex Oriente in Occidentem & contra; sed alio motu. Cognouerunt autem hoc esse non posse Primum mobile, quod per se duplici cietur motu, sed alterum debere esse prius, à quo vnum motum per communicationem acciperet, alter sibi esset proprius: Itaq; hi Nonam Sphæram adijciētes, in Nouem orbes, Cælestem machinam partiti sunt, ipsamq; sphæram nonam, primum mobile: Octauam, Secundum mobile dixerunt. In hanc iuere sententiam Ptolomæus,

In numero Sphærarum nō conueniunt omnes. Motus Sphæræ octauæ. Sphæræ nouem. Ptolom.

mæus, Thebitius, Alphraganus, alijq; plures, ad quos diligens Lector qui de his plura & certiora habere voluerit se conuertet. Cicero quidem in numero hic cũ ijsdem consentire videtur; sed interim modo quodam discrepare: dum illi pro Octaua sphęra supremum mobile, hic pro Octaua, sphęram Saturni, & pro nona siue suprema primum mobile demum collocat, Hic pro vltima Sphęra globum terræ, illi non item ponere videntur. Nouem orbes quibus omnia composita ait, hi sunt; Primum mobile, quod suo ambitu ac circumflexu, omnes inferiores orbes tegit. Sphęra Saturni, Sphęra Iouis, Sphęra Martis, Sphęra Solis, Sphęra Veneris, Sphęra Mercurij, Sphęra Lunæ, & demum Sphęra siue globus terræ. Sed de numero satis, iam ad qualitatem & vim singularum Sphęrarum cum Cicerone cõuertimus nos, de quibus quoq; Timæus Platonis agit, quem Platonicæ Philosophiæ studiosus legere poterit. Sequitur.

Thebitius. Alphrag.

In numero Spherarũ quomodo cum ceteris consentiat, discrepetq; Cicero.

Enumeratio Noué Orbiũ.

Plato.

Cui Subiecti septem, qui versantur retro, contrario motu, &c.

DOcere vult Supremo cælo, Orbes Planetarum subiectos septem, qui contrario voluuntur motu ex Occidente in Orientem, sicut & ipsum cælum supremum. Sed hic dubium alicui oboriri potest, quo pacto Motus Contrarij in cęlestibus Sphęris esse possint, cum tamen motui circulari, secundum celebrem Aristotelis sententiam, nullus omnino motus sit contrarius. Breuiter Respondendum putamus cum Commentatoribus in Aristotelem, quod motus illi non dicantur oppositi, quasi planè contrarij, (Contraria. n. simul vt habet commune ἀξίωμα, in eodem esse nequeunt) sed quia diuerso modo fiant, vnus quidem ab Oriente in Occidentem, alius ab Occidente in Orientem, licet non per eundem Circulum sint oppositi.

Motus contrarij, an in cælestibus sint Sphęris.

Arist. primo li. de Cælo, cap. 4.

Responsum.

Quam Saturniam nominant &c.

Sphera Saturni.

Cic. 2. de Nat. Deor.

Saturni cursus.

SAturnus dictus (si verum sit, quod Physica quędam ratione Etymologici tradunt) quasi se annis saturans, quod hic inter vaga sidera plurimos consumat annos, triginta scilicet, priusquam cursum suum orbemq; peragat: Huic candidus est fulgor, liuore admixto, habetq; gelidam ac rigentem naturam, terris, corporibusq; humanis multum infestam, Vnde Senum Sidus dici solet, qui (vt volunt) morosi iccirco sunt atq; difficiles.

Salutaris ille fulgor qui dicitur Iouis &c.

Iouis Sphera.

Iouis ambitus.

Plinius.

Ptolomæus.

IOuem plæriq; censent dictum, quasi iuuantem Patrem; est siquidem illius sidus, hominibus admodũ propitium & amicum, Spacia sua perlustrat, annos duodecim. De hoc Plinius scribit lib. 2 cap. 8. & Ptolomæus in apotelesmat. suis, Apotelesmate 62.

Tum rutilus & terribilis terris quem Martem dicitis &c.

Martis Sphera.

Ptolom.

MArs pro Mauors appellatus, quod bellis suo ardore atq; feruore præsideat, quæ plurima sæpe vertunt conturbantque: Istud Sidus admodum exiguum est sed mirè flagrans, flammæ simile, ex cuius nimio ardore, Saturniq; frigiditate: Iuppiter illis interiectus temperatur. De hoc & alijs, legere licebit Ptolomæum lib. 9. τῆς μεγάλης πραγματείας

Subter mediam fere regionem Sol obtinet &c.

Solis Sphera.

Cicer. lib. 2. de Natura Deorũ.

Sol inter alias Sphęras dicitur medius.

SOl dictus (vt adfirmat Cicero) vel quod solus ex omnibus sideribus tantus est, vel quia cum ortus est obscuratis omnibus alijs solus appareat & luceat. Hic inter alias Spheras medium obtinet locum. Quantum tamen ad interualla siue loci spacia attinet, nõ est medius,

medius, eo quod superiores Cæli, cũ multo sint maiores, longè quoq; plus spatij occupent, quam tres illi inferiores, qui sub Sole sunt.

Dux & princeps, & moderator Luminũ reliquorum &c.

IN his tot nominibus quæ Soli tribuuntur, non frustra nec ad laudibus pompam, lasciuisse videtur Oratio: Sol enim Dux dicitur, eo quod omnes luminis sui maiestate præcedat, vniuersæq; naturæ dominatum habet. vt tradit Plinius lib. 2. cap. 6. Princeps; quia ita eminet, vt propterea quod talis solus appareat sol vocetur. Moderator reliquorum dicitur, quia cursus recursusq; aliorum ipse certa spacij definitione moderatur: Nam certa spacij definitio est, ad quam cùm vnaquæq; erratica stella recedens à Sole peruenerit, tamq̃ vltra prohibeatur accedere, agi retro videtur: & rursus cùm certã partem recedendo contigerit, ad directi cursus consueta reuocatur: ita Solis vis & potestas, motus reliquorum luminum constituta dimensione, moderatur. Mens mundi appellatur, sicut & cor cæli, eum nuncupauere Physici, ob id scilicet, quod per hunc quasi omnia quæ fiunt, diuina ratione fiant: Tum quòd natura ignis semper in motu, perpetuo agitatuq; est. Et hæc de nominibus Solis dicta sufficiant. Eadem fere lib. 1. Tusc. quæstionum habet Cicero, cum ijs quæ hic recensentur. De Sole Plinius lib. 2. cap. 6. sic scribit; Sol Planetarum medius fertur, amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumq;, sed siderum etiam ipsorum, cæliq; rector: hic lucem rebus ministrat, aufertq; tenebras. Hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum, annumq; semper renascentem, ex vsu naturæ tẽperat; hic cæli tristitiam discutit, atq; etiam nubilũ humani animi serenat &c.

Sol quare Dux.

Plinius.

Sol quare Princeps.

Sol quare Moderator luminum reliquorum.

Sol quare Mẽs mundi.

Pli. lib. 2. cap. 6. de Sole.

Et Verg. 6. Aeneid. Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus.
Mens agitat molem & pleno se corpore miscet &c.

De hoc quoque Timæus Platonis agit pluribus.

Tanta

Tanta magnitudine vt cuncta sua luce compleat ac lustret &c.

Solis magnitudo.

DE Solis magnitudine varij varia senserunt, dum alij hanc, alij illam soli adsignarint magnitudinem. Vnde de Solis magnitudine quarto Academicarum Quæstionum sic loquitur Cicero: Quid potest " esse Sole maius, quem Mathematici, amplius duode " viginti partibus, confirmant maiorem tota terra. " Quantulus nobis videtur, mihi quidem quasi pedalis. " Epicurus autem, posse putat etiam minorem esse eum " quàm videatur, sed non multo &c. Physicos, Geome " tras, & Astrologos, qui de his & similibus agunt, consulere licebit.

Cicero in Academ.

Epicurus.

Cuncta sua luce compleat ac lustret &c.

Sol omnia illuminat.

OMnia planè Astra à Sole suum lumen accipere, & per idem illud lumen suos producere effectus in hæc inferiora, docere nititur. Idem adstruit Plato, & magnus ille rerum indagator Aristoteles, veritasq; rē " ita se habere confirmat: Neq; modo Lumen, Sol reli- " quis sideribus suppeditat, sed & virtutes officiaq; præscribit. Vide Plin.

Plato in Tim.

Aristot.

Plin. 2. nat. hist.

Hunc vt comites consequuntur, Veneris alter, alter Mercurij cursus &c.

Comites Solis Venus & Mercurius.

BEnè dicit vt Comites, est siquidem instar Regis aut principis alicuius vndiq; suis Comitibus atq; nobilibus circumsepti. Nam quemmadmodum ille, ita hic vndiq; Planetis tam superioribus, quam inferioribus circūdatus est, supra se Martem, Iouem, atq; Saturnum, sub se vero Lunam, Mercurium, Veneremq; habens.

Veneris alter &c.

Venus.

VEnus ex ortu suo genitalem illum spargere dicitur rorem, quo non modo terrarum, sed & animantium stimulat conceptus; estq; conspicua magnitudine

tudine & luce ita magna vt ad vesperam Lunæ, mane vero Solis sit comes: Sequitur enim occidentem Solē & Hesperus dicitur, præuertit Orientem, & Lucifer nominatur, græcis φωσφόρος. Atq; ob id modo quodam loquendi, Venus dici solet Solis Coniux: Quemadmodum enim Cōiugis officium est, suo marito indiuidua societate adhærere, ita quoque Venus perpetuo Solem siue oriatur siue occidat comitatur, se illi Comitem indissolubili quodam nexu præbens, & est tota fæmineæ naturæ: Præterea, sicuti Sol vitalem dat viuētibus calorem, ita Venus suo concursu vitalem humorem adfert, atq; ita pariter vitam dant conseruantq;, non secus quam ad prolis generationem simul cooperantur Vir & mulier. Signiferi ambitum peragere dicitur, tricenis & duodequinquagenis diebus, ab Sole nūquā absistens pārtibus sex, atq; quadraginta longius, vt est in Timæo.

Venus quomodo Solis dicatur Coniux.

Solem semper comitatur Venus.

Veneris Ambitus.

Alter Mercurij &c.

MErcurius exiguum est astrum, si cum Venere alijsq; comparetur, acuto & radiante lumine, natura prorsus versatili & varia, Planeta per se neq: bonus neq; malus, sed sua natura inclinatnr ad Planetam cui coniungitur, neq; aliorum malitiam lenit, temperatue: sed cum bonis bonus, cum peruersis peruersus, & quia superiorum planetarū viribus potestatiq; obsequitur semper, factum est, vt hunc deorum ministrum nuncuparint Poetæ. Subesse autem fere semper sólet solaribus radijs, (à quibus non longius 28. gradibus recedit) hinc ab Astronimis vocari solet conuenienti nomine græco στίλβων, id est radians: Circumfertur autem (teste Plinio) nouem diebus ocijore ambitu per orbem, qnam Venus.

Mercurius.

Mercuriū Poetæ Deorum finxerunt ministrum.

Vicinitas Mercurij cū Sole.

Ambitus Mercurij.

In infimoq; Orbe, Luna radiis Solis succensa conuertitur &c.

INfima omnium Sphærarum quæ mouentur (sequitur enim hanc secundū Tullium Nona Tellus quæ

semper

Luna, eiusque proprietates.

ſemper eſt immobilis) eſt Lunæ, quæ ex ſe nihil planè luminis habet, ſed totum mutuatur à Sole, eſtq; ſolida moles, admodum denſa, tota leuis ac terſa, vnde fit, vt vibratum in ſe à Sole ſplendorem (quia aſperitatis nihil habet vbi hæreat) refundat reuibretq;, haud ſecus, quam in gladijs atq; armis prænitentibus fieri conſpicimus. Eſt autem Luna, frigida & humida, aquis, cunctisq; humidis dominans; Vnde etiam cauſſa eſſe dicitur Phyſicis, acceſſus & receſſus fluxus atq; refulxus maris, multarumq; aliarum aquarnm, accretionis atq; decretionis. minimo tempore ſuum curſum motumq; abſoluit. Ceterùm quod noſtro adſpectui maior reliquis Planetis ac Stellis appareat, in cauſſa eſt, eius vicinitas; nam infimum cælorum Lunam continet. De natura ac conditione Lunæ, plura videre licebit apud Plinium, lib. 2. Nat. hyſt. cap. 9. & eodem lib. cap. 101.

Lunæ effectus.

Luna cur reliquis Planetis appareat maior.

Plin.

Infra autem iam nihil eſt, niſi mortale atq; caducum, præter &c.

CVm hactenus, de ſuperioribus illis Sphæris orbibusq; cæleſtibus, & de his quæ illis competunt egerit: iam de ijs quæ in terris ſunt ſubiecta his, quæq; illorum quaſi virtute ſunt ſuffulta, agere inſtituit: Caduca autem ea atq; mortalia ait omnia, præter hominum animos. Sequitur igitur.

In Mũdo mortalia omnia, prẹter hominũ Animas.

Nam ea quæ eſt media & nona Tellus, neq; mouetur, & infima eſt &c.

Terra Sphæra immobilis.

SPhæra quæ à Cicerone ponitur Nona & vltima, eſt Terra, quæ in medio totius Vniuerſi, à prouidiſsimo illo rerum creatarũ moderatore Deo, collocata eſt: Circa quam veluti centrum immobile, omnes Sphæræ ſuperiores, alia quoq; tria Elementa voluuuntur atq; mouentur; Nam, Sicuti in corpore Sphærico, quod motu mo-

tu mouetur circulari, omnes partes (vt docent Physici) mouentur circulariter, solo ipso Centro circa quod cæteræ mouentur partes, permanente immoto: Ad eundem quoque modum, Terra quæ totius Mũdanæ Sphæræ est tamquam Centrum, in medio totius Vniuersi consistit, immobilisq; permanet, Est & Terra infima, & benè quidem, nam quod rationem obtinet Centri, etiam medij rationem sibi vendicat; In corpore autẽ Sphærico, illud solum esse constat imum ac infimum, quod est medium, ergo Terra infima est, Quod Si verũ sit, consequitur) vt cum Tullio loquar) Omnia in eã nutu suo ferri pondera, Semper enim suapte vi ac natura deorsum, id est in Terram, corpora mouentur grauia. De his latius Aristoteles lib. 2. de cælo cap. 2. & lib. eodem cap. 13. Plin. lib. 2. nat. hystoriæ. cap. 69. & Ouidius 15. Metamorp. hcuius locus vti pulcer ita lectu dignus est de lege naturę corporibus imposita terræq; grauitate, in quam sua spõte labuntur grauia.

Terra infima est.

Aristot. Plin. Ouidius.

Quis hic inquam, quis est, qui complet aures meas tantus & tam dulcis sonus &c.

POstquam Cicero de Mundialis machinæ Sphæris egit, deinceps ex eiusce modi Sphærarum impulsu atq; motu, inter se Concentũ siue Harmoniam quandam mirè suauem auribusq; gratam nasci docet, cum Pythagora atque Platone: quorum ille primus inter Graios hoc ipsum mente sua concepit, & compositum quiddam de Sphæris illis cælestibus sonare, propter necessitatis rationem (quam intelligentiam nuncupare solent Prisci) quæ à cælestibus corporibus non separatur, intellexit, quæ tamen ista sit ratio siue intelligentia, consequi nequiuit satis. Ceterum quia istud de concentu orbium dictu iucũdius videtur, quam vero similius Commentum aut potius figmentum, de eo parcius agemus, & interim reliquam partem explicare pergemus. Plura quisquis requirat, Timæum ac Phædonem Platonis legat, & quæ Macrobius æquo forte

Pythagoras primus concepit harmonicã rationem Sphærarum.

Concentus Orbium, dictu iucundius, quam vero similius Commentum.

Plato. Macrob.

forte prolixius de his enarrat lib. 2. Comment. sui in hoc opus 1. 2. 3. & 4. cap. ac Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 22. videat. Plato quoq; in Rep. sua de Sphærarũ cælestium volubilitate tractans, fingit Syrenas singulas, singulis insidere orbibus, significare volens sphærarum motu cantum exhiberi Numinibus. Sed his rectius sensere atq; dixere Aristoteles lib. 2. de Cælo, cap. 9. ac Basilius ille magnus in lib. ἑξαμερῶν Congressione. 3. ridentes exsuperantem illam concentuum ex sphæris cælestibus suauitatem.

Plin.

Plato finxit Syrenas insidere Sphæris.

Aristoteles cũ Basilio irrisit Sphærarum cõcentum.

Quod docti homines neruis imitati atque cantibus aperuerunt &c.

MOdorum istorum vim duplicem quibus pręstãs fuit ingenij vis, similitudine, vocibus, fidibusq; imitati sunt, neq; minus quam alij (vt vult) qui rebus cælestibus se totos deuouentes, ad hunc locum quem beatorum sedem intelligit, sibi reditum impetrarunt. Atq; hæc eadem licet paullo compressius, ab eodem referuntur lib. 5. Tus. Quæst. vbi de triplici fętu animi loquitur. Primo autẽ Tus. dicit Veteres Gręcos censuisse in neruorũ vocumq; cantibus, eruditionẽ sitam fuisse, adeo vt qui in hoc genere exercitatus nõ esset, nõ satis excultus doctrina putaretur; hinc fertur de Themistocle, quod cũ aliquot ante annis, in cõuiuijs Lyrã recusaret, ideo reputaretur imperitior. Atq; hic quoq; mos Epulandi apud priscos Romanos inualuerat, vt ad tibiam, præclarorum virorum laudes atq; virtutes decantarentur. Idem 4. Tus. Mentes suas, inquit, à cogitationum intentione, cantu fidibusq; ad tranquillitatem traducebant &c. Itaq: hisce suis studijs, cum illi animos ad virtutem atq; Iustitiam composuissent, reditum sibi patefecerunt (vt vult Tullius) sicut alij qui in hac vita, Diuina studia coluissent, hoc est, de Patria, Rep. propinquis, alijsq; optimè meriti essent, Atq; hęc ad mentem sensumq; Auctoris faciunt, qui vtinam falsa postposita sapientia sui sæculi, verè Diuina studia coluisset,

Cicero in Tusculanis.
Lib. 1. Tusc.

Themistocles.

Lib. 4. Tusc.

Diuina studia colere.

coluiſſet, Deiq, Opt. Max. Verus cultor cum alijs exſtitiſſet & c.

Sicut vbi Nilus ad illa quæ Catadupa nominantur, præcipitat &c.

HIſtorici aliiq; ſcriptores nonnulli tradunt totã illam gentem quæ ad Catadupa Aethiopiæ partem habitat, intoleranda fragoris ſtrepitusq; vehementia olim obſurduiſſe: Nilus .n. (vt aiunt) Aſiã ab Aſia diſiungẽs, poſtq̃ * Meroen Aethiopiæ (quã ipſe diuiſus quaſi concludit atq; inſulã facit) prætergreſſus eſt, oẽs ſuas aquas in eundem alueũ recipere dicitur, ac poſtea impactus rurſum inſulis, his obicibus atq; offenſionibus quaſi incitatus, rapidiſsimo curſu fertur, ſuisq; coniunctis collectisq; aquis incitatiſsimus decurrit, vſque ad illam Aethiopiæ partem quæ ex ipſa re græco verbo κατάδȣπα appellatur; Ruit enim Nilus ex illis ſcopulis atq; rupibus immenſo fragore, gensq; loci illius accola (vt hic refert Cicero) propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. Idem Seneca li. 4. & Plin. lib. 5. & 6. De Nili ortu videre licet Ariſtotelem lib. 1. metaph. cap. 13. & 14. ac Plin. lib. 5. cap. 9. Cauſſas incrementi ipſius, enarrat Lucanus lib. 10. &c. Quantum vero ad hoc nomen (Catadupa) attinet: ſciendum eſt, illud eſſe generale, ſicut & Cataracta: & quemadmodum Nili, ita quoque Eufratis, Rheni, Danubij, Moſæ, ſimiliumq; fluuiorum, Cataractę & Catadupa dici poſſunt.

Nilus.
* De Meroe vide Herodotũ, qui eam regni caput appellat. Lucan. lib. 10. Strab. lib. 16. ac Diodor. lib. 1. & 17. qui eam oẽs alias Nili Inſulas ſuperare (quæ ſunt 700) ſcribit.
Seneca.
Plin.
Nili ortus, eiuſque incrementi cauſſa.
Ariſt.
Plin.
Lucan.
Catadupa.
Cataracta.

Hæc cæleſtia ſemper ſpectato illa humana contemnito &c.

SVum denuo ad Nepotem conuertit ſermonẽ Auus, quem cohortatur ac monet, vt ſpreta omni gloria humana, quæ fluxa eſt atq; caduca, neq; latepatens, ad ſolam illam cęleſtem gloriam, quæ & æterna eſt: & maxima, & latiſsimè ſparſa, nec vnq̃ interitura, adſpiret cõtendatq;, & eam vnicã ac ſolam, ex benè anteacta vita ſperet. Et hoc 4. Academicarũ Quæſtionũ libro, in hæc

Gloria humana eſt fluxa atque caduca.
Cicer. in Academ.

in hæc verba habet Cicero: Cogitantes ſuprema atq; cæleſtia, hæc noſtra vt exigua & minima cõtemnamus &c. Atq; vtinam iſta, eorumdemq; Auctorem vnum verum Deum Gentiles illi pio ac christiano ſuſpexiſſent animo, honorẽq; quẽ debebãt, ſincerè tribuiſſent.

Vides habitari in Terra raris & anguſtis in locis, & in ipſis quaſi maculis, vbi habitatur, vaſtas ſolitudines interiectas &c.

παρέκβασις

HActenus Cicero Cælum, cuius omnia compreh ẽduntur ambitu, ſubiectarumq; Sphærarum ordinem & motum, necnon illarum harmoniam atq; concentum admirabilem deſcripſit, iam hiſce relictis ad alia tranſit, iuſtoq; ordine ſe ad vltimę Sphęræ Hypotypoſin conuertit; Dicit autem, Terram raris & anguſtis admodum habitari locis, & in ipſis maculis, hoc eſt exiguis quibuſdam ſpatijs, vbi habitatur ab hominibibus, multa adhuc loca eſſe deſerta atq; inculta; Et quantũ ad habitatores ipſos attinet, alios ait eſſe interruptos atq; ſegregatos, vſqueadeo, vt inter hos nullæ poſsint fieri cum alijs communicationes: alios dicit eſſe obliquos, alios tranſuerſos: Alios aduerſos &c. Atq; paucisſimis hiſce verbis, Terrenę Sphæræ globoſitatem deſcribit, De qua Latius apud Ariſt. lib. 2. de Cælo cap. 14. & Plin. in Nat. hyſt. lib. 2. cap. 64.

Terrę anguſtia.

Terrenæ Sphæræ globoſitas.

Ariſt. c. 14. ſub finem.

Plin.

Sed partim obliquos, partim tranſuerſos &c.

QVandoquidem Terra, reuera aliud videtur nihil, quam quidam globus: ideo homines partim inter ſe ſunt obliqui, partim tranſuerſi. Obliqui, qui idem inhabitant cingulum, ſed latera contraria, dum alij ortum alij occaſum ſpectant, dicunturq; à Coſmographis Periœci. Tranſuerſi vero qui in Boreali, Auſtraliq; Zona viuunt, & dicuntur antoeci. Alij ſibi ſi ſunt (vt dicit) Aduerſi quos græci Αντίποδας nuncupauere

Obliqui.

Tranſuerſi.

Αντίποδες ſiue Aduerſi.

cupauere: Atq; hi (vt idẽ in Academicis refert, explicans Cic. lib. 4. Acad. Quæst.
„ vnde illi dicti, & qui sint) in contraria parte Terræ,
„ auersis vestigijs stant contra nostra vestigia: Et his om
„ nia sunt contraria, & plagæ Zoneq; cæli, & temporum
„ dierumq; vicissitudines; Dum enim his est hiems, alijs
„ est æstas, & cum nox est, alijs dies est &c. Fuere tamen, qui hac in parte hallucinantes, absolutè negarunt esse Ἀντίποδας contra, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & ipsam rei veritatem; Atq; inter illos, exstitere Verg. & Lactantius, quorum is primo lib. γεωργικῶν, negat Solem à nobis abscedentem ire ad Antipodas, sed perpetuas ibi tenebras adfirmat, dicit enim,

Errores Ἀντίποδας negantium.

Verg. & Lactantius.

„ At illũ sub pedibus styx atra videt, manesq; ꝓfundi.

Lactantius Firmianus, eos plenis (quod aiunt) buccis ridet, qui Antipodas esse statuerunt, crediderüntue; Sed parum interim efficaces validasq; rationes adducit, quibus sententiam propriam confirmet, & alienam cõuellãt: Eas si quis nosse cupierit, caput 24. li. 3. de Falsa sapientia legat. Ceterùm, Nos, Aristotelis, Cicer. Plinij, Cleomedis, Strabonis, Melæ atq; Solini sentẽtijs subscribemus, & Antipodas esse tuebimur, Cùm & hodie, exploratis vniuersæ Terræ latebris, patefactisq; in Aethiopiam vltimam, in Indiam, in Terras nouas, Nauigationibus obliquos, auersos, aduersosq;, suis oculis viderint, comperérintq; Nautæ, & Mercatores plurimi, quibus sanè premimur, & ad adsentiendũ ijsdem, vrgemur.

Lactant cap. 24. lib. 3.

Plinius.

Probatur Antipodas esse.

Cernis, autem Terram eandem quasi quibusdam redimitam & circumdatam singulis &c.

QVemadmodum Cælo, sunt suæ Zonæ quinq;, ita & Terra, Zonas, cingula, plagas, siue regiones (pro ijsdem enim hæc multa nomina sumuntur) quinq; habet; de quibus bellè enarrat Ouidius.

Terræ & Cæli, sũt Zonę quinque.

Ouid. 1. Metamor.

„ Vtq; duæ dextra cęlum, totidemq; sinistra
„ Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis:

D Sit

Sic onus inclusum numero distinxit eodem "
Cura Dei: totidemq; plagæ tellure premuntur "
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu, "
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramq; locauit, "
Temperiemq; dedit mista cum frigore flamma. "

Verg. De ijsdẽ, Vergilius quasi eadẽ recenset, primo Georg.

Quinq; tenent Cælum Zonæ; quarum vna corusco. "
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni "
Quarum circum extremæ, dextra leuaq; trahuntur "
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris. "
Has inter: mediamq; duæ, mortalibus ægris "
Munere concessæ Diuum, & via secta per ambas &c. "

Tibullus. Eadem habet Tibullus lib. 4. cuius Versus, quia plures sunt, breuitatis caussà hic prętermittemus, & ad Inuestigationẽ, expositionemq; Zonarũ nos cõuertemus.

E quibus duos maxime inter se diuersos, & cæli verticibus ipsis ex vtraq; parte subnixos, obriguisse pruina vides &c.

Duæ Zonæ, propter frigora inhabitabiles.

DVas illas Regiones intelligit, quæ sunt à Circulis Arctico & Antarctico, vsq; ad Polos mundi, quę scilicet Boreali Australiq; suppositæ sunt vertici, Atq; hæ dicuntur inhabitabiles, propter frigora nimis vehementia, quibus illæ Regiones perpetuo rigent, sic Arist. lib. 2. Metor. c 5. Non tamen, si verum quærimus, prorsus hæ Zonæ sunt inhabitabiles, quidquid senserint multi; Nam si Ptolomæo credẽdum sit, intra Circulum Arcticum, multas hominum confitebimur habitationes, licet interim communi hominum habitationi ac victui non vsqueadeo accommodas. Sed De his videantur Neoterici illi, qui penitius, ista ex professo pertractant.

Ptolom. Neoterici.

Medium autem illum, & maximum Solis ardore torqueri &c.

Tertia Zona nimis magno ęstui obnoxia.

TErtia hæc ponitur Zona & media, quæ nimio calore ac æstu dicitur Torrida atq; inhabitabilis, quemad-

quemadmodū duæ priores nimio frigore; Ptolomęus tamen cum quibuſdam alijs, id negant, & multa loca (quod veriſimilius adparet) huius Zonæ habitari cō firmant. Interim ſit quidquid ſit, habitatio iuxta Tropicos, creditur parum humanæ vitæ conueniens: Cum ibi homines dicantur nigerrimi, vitæ breuiſsimæ, ſtaturæ minimæ, & hoc non aliundè prouenire videtur, quam ex nimis vehementi illo æſtu caloriſq; exceſſu conſumente in ijs humidum radicale: vnde fit vt neq; iuſtam corporum quantitatem habeant, neq; in communem hominum durationem, vitam ſuam extendant. Quidam tamen Scriptores & maximè Recentiores maximam partem Zonæ quam Torridam nuncupant, habitari & quidem commodè ſatis (quidquid dixerint Priſci) contendunt, conprobantq;: Hos videbis, & tempora ſententiaſq; conciliabis.

Ptolomæus cōtra Veteres.

Neotericorum Sententia.

Duo ſunt habitabiles &c.

ALiæ duæ Zonæ, quarum Altera eſt intra Circulū Arcticum & Tropicum Cācri; Altera vèro, intra Circulum Antarcticum & Tropicū Capricorni, quia reliquis temperatiores ſunt, habitabiles dicūtur: Neq; enim Sol ijs nimis eſt propinquus, neq; etiā nimis ab illis remotus: & ſunt hę Duę, quaſi medię, inter Torridam illam Zonam, & frigidiſsimas regiones, inde calorem, hinc frigus, quantum ſatis eſt ſumentes, pro temperie regionum

Duæ Zonæ temperatæ & habitationi ac commodę.

Quorum Auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt ad uerſa vobis vrgent veſtigia, nihil ad veſtrum genus &c.

AVſtralem illam plagam nihil ad Romanorum vult pertinere gloriam, eo quod neq; Romani ad illos, neq; illi ad Romanos commeandi habeant facultatem; Verum hoc Ciceronis fortè ætate fuit; at noſtra non item. Huc ſpectant ea quæ in Tuſculanis habet

Auſtralis Plaga.

Cic.lib.1.Tuſc. Quæſt.

Cic. in Tusc. idem diserte sub hac verborum forma; Vt cum vide- "
mus speciem primum candoremq; cæli: deinde conuer "
sionis celeritatem tantam, quantam cogitare non pos- "
sumus; tùm vicissitudines dierum atq; noctium, com "
mutationesq, temporum quadripartitas, ad maturita- "
tem frugum, & ad temperationem corporum aptas, "
eorumq; omnium Moderatorem & Ducem Solem, Lu "
namq; accretione & decretione luminis, quasi fastorũ "
notantem & significantem dies &c. Et Paullo post: Tũ "
globum Terræ eminentem ę mari fixum, in medio "
mundi vniuersi loco, duabus horridis distantibus, ha- "
bitabilem & cultam; quarum altera quam nos incoli- "
mus sub axe posita, ad Stellam septem, vnde horrifer "
Aquilonis stridor, gelidas molitur niues: Altera Au- "
stralis, ignota nobis, quam Græci vocant Ἀντίχθονα. "
Cæteras partes incultas, quod aut frigore rigeant aut "
vrãtur calore &c. Atq; hæc in Tusculanis suis Cicero. "

Arist. Strabo. Plin. Ouid. Verg. Tibullus. De istis Zonis, legere licebit inter alios, Arist. lib. de Cælo & Mundo, ac in Meteoris. Strabonem lib. 3. Plin. lib. 2. nat. hist. c. 68. Ouid. lib. 1. Metamor. Verg. 1. Georg. Tibullum lib. 4. Atq; hi, pluresq; alij apud Priscos illos, & si doctè abundeq; de Zonis illis quinque egerint: tamen in hoc videtur lapsum illud sæculum, quod existimauit duas Zonas, ob magnitudinem frigoris: & mediam Torridam, ob ingentem intolerandumq; calorem, prorsus inhabitabiles, cùm & illos ac Ciceronem (ipsorum pace dixerim) arguant Mercatores, Nautę, alijq; rudes, non tam subtilitatibus vt isti arguendo, quam res ipsas experiendo. Et hic Error videtur durasse, ad Ptolomæi vsq; tempora, Si tamen error ille dici debeat, propter loca illa id temporis fortè adhuc incognita atq; inculta.

Priscorum Error.

Omnis autem Terra quæ colitur à vobis, angu-
sta verticibus; lateribus latior, parua
quædam insula est &c.

Poli dicuntur Vertices.

VVlt dicere, Tanto Zonam verticibus, id est polis ipsis (qui Vertices appellantur, eò quod circa hos

mundus

mundus vertatur atq; rotetur) quàm lateribus esse angustiorem, quanto longior est Circus Tropicus, Septentrionali circo: diductio autem laterum cum longitudine Tropici, ab vtraq; parte distenditur: De hoc plura in Geographia Ptolomæi. Ptolom.

Circumfusa illo Mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum appellatis in Terris &c.

OCeanus Mare dicitur, quod ambit, circumitq; totam terram. Vnde Aug. Mari magno cingitur Terra, quæ vocatur Oceanus, de quo influit quoddam exiguum in medium terrarum, & facit ista Maria nota nobis quæ nauigijs frequentantur. De hoc, Suidas ita scribit: ὠκεανος ἡ κύκλῳ της γῆς πάσης θάλασσα, παρὰ τὸ, κέω, τὸ σχίζω, ὠκεανὸς ἐξ ὅυπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσια, καὶ πηγαὶ, &c. Oceanus. Aug. Suidas.

Solin. & Seruius ab ὠκὺς, quod idē est quod velox, diducūt. Quamq̄ autē Oceanus, ferè pro Proprio nomī ne vsurpetur: ponitur tamen etiam pro Adpellatiuo, quando scilicet, partes significat: Quomodo Mare, cùm totum denotat, proprium habetur, quia vni soli conuenit, & cùm partes complectitur, Commune siue adpellatiuum (vt loquuntur Grammatici) existit. A Littoribus siquidem suis, plerumq; Nominis sui adpellationem mutat. Nam ad dexterum, vbi primum Terram ingreditur, Atlanticum Mare vocatur. Ad sinistrum; Gaditanum; illinc Arabicum, Persicum, Indicum, hinc Britannicum, Germanicum, Schyticum. At postquam Terras intrauit, primo ab Iberia siue Hispania, Ibericum mare dicitur: postea à Balearibus insulis, Balearicum. Postea, Prouinciam Narbonensem contingens, Gallicum adpellatur. Postea à Liguria Ligusticum, mox vsq; in Siciliam à Thuscis Thuscū', siue Tyrrhenum à Tyrrhenis: siue à differentia superi inferum, superum enim Hadriaticum dicitur, Inde ab Ionibui Ionium, à Sicilia Siculum, à Creta Creticū, Solinus. Seruius. Oceanus. Mare à Littoribus mutat Nominis adpellationem.

ab Asia Asiaticum, à Pamphilia Pamphilicum. Breuiter, Diuersæ collectiones aquarũ, Maria appellantur, in diuersis siquidem locis, diuersa etiam Oceano siue Mari, adtribuũtur nomina: Vocabula enim partibus maris, ex Regionũ adhæsere adpellationibus, & sicuti multę sunt partes Terrę nominibus distinctę, & vna tantũ est terra: ita multa dicuntur Maria, propter locorum adpellationem aliam atq; aliam, cùm tamen vnum tantum sit. Secundum illud Prophetæ: Tui sunt cæli & tua est terra, orbem Terræ & plenitudinẽ eius, tu fundasti, Aquilonẽ & mare tu creasti, &c.

Diuersa Nomina Oceani.

Psalmo 88.

Ex his ipsis cultis notisq; terris, num aut tuum, aut cuiusq̃ nostrum nomen aut Caucasum hunc &c. vel illũ Gangem &c.

HAec eo spectãt, vt pro nihilo reputet Vir fortis, quidquid in hac terra suspiciunt homines, vti, opes, facultates, & nominis famam: nam licet (inquit) Terra habitabilis, exiguis constet spatijs, tamen neq; Scipionis Aemiliani, aut alterius cuiusquam nomen, rerum gestarum magnitudine, Montem Caucasum trã scendere, aut fluuium Gangem tranare poterit.

Est autem Caucasus, mons Indiæ editissimus, ad Septemtrionem, versus Schytas, Indiam à Schytia diuidens, perpetuaq; niue candidus, & ob id, asper & inhabitabilis; Hic adeo fertur altus, vt etiã sideribus ipsis, dicatur proximus, vnde Astra maiora visuntur, eorumque ortus atq; occasus, perfectè perspicitur: Et hinc fit, vt Schytæ, eius montis accolæ, rei Astronomicæ peritissimi sint habiti. De hoc Verg. 4. Aeneidos.

Caucasus.

Altitudo Caucasi.

Verg. 4. Aenei.

Sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus &c. "

Huius etiã meminit Aristoteles, in hęc verba: Caucasus " autem Mons est, eorum qui ad ęstiuum Solis exortum " vergunt, multitudine pariter atque celsitudine maxi- " mus &c. Argumentũ Celsitudinis atq; Magnitudinis, quisquis nosse velit plenius, videat consequenter locũ Philosophi adductũ qui præclarus est, & lectu dignus.

Aristot. lib. 1. Meteo. cap. 13.

Caucasi celsitudo probatur.

De

De Gange &c.

Ganges.

GAnges Indiæ Fluuius maximus est, vniuersam Indiam ambiens. Vnde Ouidius.

Ouid. lib. 4. Metam.

» Decolor extremo, qua cingitur India Gange.

Huius Latitudo ea parte qua minima creditur, per octo passuum milia patet, vbi maxima per 20. Altitudo autem, vbi maximè vadosus est, centum pedum implet mensuram. Dici volunt Gangem, à Rege Aethiopum Gange, Auctor est Suidas; Hunc alij incertis fontibus, vt Nilum, rigantemq; vicina, eodem modo, Alij in Schyticis montibus nasci dixerunt, Et influere in eum xix. Amnes, &c. Vide Plin. lib. 6. nat. hyst. cap. 18. &c. Tantum autem abest (si eidem Auctori credendum sit) vt Romanum imperium ad hunc peruenerit Fluuium, vt Eufratem (qui à Gange distat quinquagies centena milia passuum & viginti vnum) postea multis temporibus, vix ipsi penetrarint. Hæc ille.

Latitudo & Altitudo Gangis.

Plin. lib. 6. c. 18.

Quibus amputatis, cernis profectò, quantis in angustiis, vestra se gloria dilatari velit &c.

HVmanæ gloriæ angustiam eiusq; contemtum inducere ac persuadere pergit, ab Extenuatione Telluris, quam particulam siue Punctum totius vniuersi, solent adpellare plurimi. De qua, eiusq; spacijs exiguis, pulcrè admodum in hæc verba exclamat Plinius.

Plinij verba lectu digna, de Extenuatione Telluris.

» Hæc est materia gloriæ nostræ: hæc sedes: hic hono-
» res gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus,
» hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus
» bella, etiam ciuilia, mutuisq; cædibus laxiorem faci-
» mus Terram. Et vt publicos gentium furores transeā,
» hæc in qua conterminos pellimus, furtoq; vicini ce-
» spitem, nostro solo affodimus, vt qui latissimè rura
» metatus fuerit, vltraq; fines exegerit accolas, quota
» terrarum parte gaudeat: vel cùm ad mensuram auari-

tiæ ſuæ propagauerit, quam tandem portionem, eius "
defunctus obtinet: &c. Hæc ille. "

Ipſi autem qui de vobis loquentur, quam loquentur diu; quin etiam &c.

AVus in hoc incumbens ſedulo, vti Nepotis ſui Animũ ab omni mundana atq; humana affectione alienet; illum hortatur, vt conſcientiæ præmijs adquieſcat, illisq; contentus viuat; neq; gloriam vllam quæ inter homines, longè latèq; patere nequit, ex rebus præclarè geſtis atque gerundis, in hac Terra aucupetur: (Hoc ſiquidem ſapientis eſt & perfecti, illud inſipientis atq; imperfecti.) Sed maius præmium exſpectet, quo perfruentur (vt ait) illi, qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, ac auxerint &c. Ceterùm cùm in adpetitione Gloriç, Duo potiſsimum requirantur, ſcilicet, vt quàm latiſsimè vagetur, & quam diuriſsimè perſeueret: Poſtquam edocuit à noſtri generis hominibus, minima tantummodo inhabitari ſpatia, neq; cuiusquam famam, ex rerum geſtarum laude & gloria, per minimam dumtaxat mundi particulam potuiſſe diffundi, ſiquidem Caucaſum tranſcendere, vel Gangem tranare, olim Romani non potuerunt: Spẽ quoq; diuturnitatis gloriæ nullam, eſſe debere mortalibus, probare nititur. vt Nepos diſcat, gloriam hanc (quæ neque eſſe diuturna, neque latè patere poteſt) contemnere, & ad beatorum ſedem contendere.

Cõſcientiæ prç mijs adquieſcẽdum.

Romanorum Gloria minimis conſtricta ſpatijs.

Tamen propter eluuiones, exuſtionesq; terrarum, quas accidere certo tempore &c.

PRobare conſequenter intendit, Gloriam humanã, diuturnam ſempiternamq; eſſe non poſſe; quia hoc natura, rerumq; conditio fieri vetat; Nam congreſſus ſeparationesq; ſiderum, cùm nimiam humoris abũdantiam terris immittunt, cogunt ſçpè Oceanum, ſuos limites tranſilire conſuetos, atq; loca ab hominibus

habitata

habitata occupare; tum vel fulminibus è cęlo demissis, vel nostris etiam subinde ignibus, incendia suscitantur maxima; Atq; ita fit, vt per Eluuiones siue inundationes, mergātur regiones, ciuitates, & homines ipsi frequenter aut ignibus & flammis exurantur, & in cineres resoluantur, quibus sanè ita deperditis, & famam & laudes hominum quoq; interire est necesse. Et his positis, numquàm tamen Eluuionem, aut exustionem tantam exstitisse putandum est, vt cunctas terras, aut omne hominum genus vel omnino operuerit vel penitus exusserit; Nisi hoc, euenisse velimus in Diluuio illo generali, quando tota terra aquis cooperta fuit: manserunt tamen homines aliqui, videlicet, Noe cum sua familia, & animantibus quæ secum in arca habebat, vt est Genesis 6. & 7. capitibus. Huc accēdit, quod ipse Plato fateatur in Timæo, numquàm abundantiā nimiam aquæ vel caloris nocuisse Aegypto. Et Auerroes 3. de Anima, dicit numquàm ita perniciosè super terras, inundasse Diluuium, quin aliqua euaserint animantia; Nam cū Stellarū potestas sit diuersa (inquit) Si quarumdem vi, alicubi scaturiat Inundatio, alias diuersæ ac interim contrariæ virtutis aliud posse alibi efficere &c.

Terrarum Eluuiones atq; incendia.

Nota de Diluuio Generali.

Noe.

Genesis.

Plato.

Auerroes.

Quid autem interest ab his qui postea nascentur, sermonem fore de te &c.

INsistit sicuti prius, adpetendæ gloriæ dissuasioni, quam cùm arctis admodum locorum limitibus, temporumq; breuitate exiguam docuisset, iam eandem Gloriam non modo non diuturnam & sempiternam, Sed neq; ad vnius quidem Anni integri metas posse propagari confirmat; Neq; vero is tantum Annus est, quem (vt dicit Tullius) homines populariter tantummodo Solis, id est vnius astri reditu metiuntur, sed singulorum seu luminum seu Stellarum, emenso toto cæli ambitu, à certo loco in eundem locum reditus, Annus suus est. Solet autem Annus Triplex notari, Lunaris,

Gloria humana non ambiēda.

Annus triplex.

Lunaris Annus

Solstitialis Annus.

Annus Mundanus.

Basil. in lib. hexam. Congressione 6.

Solis Annus.

ris, Solstitialis & Mundanus. Lunaris quidem Annus dicitur qui continet triginta dies. Solstitialis qui duodecim habet menses, qui dicitur Solis amfractus (de quo supra) cum peractis. 365 diebus & quadrante, ad eadem Siderum loca redit, qui etiam Vertens adpellari solet. Mundanus Annus qui & Magnus & uerè Vertens à Platone & Cicerone hoc loco nuncupatur, est qui hic describitur. Et de hac triplici Annorũ distinctione, præclarè tradit Magnus ille Basilius, in hęc verba; Ad annos agendos, Sol atq; Luna principes sunt " constituti: nam Luna cum duodecies suum peregit cur " sum, effectrix est Anni, excepto mẽse intercalari, cuius " egere persæpe videtur, id exactissimum temporum " agendum concursum, sicuti Hæbrei vetustissimo tem " pore, antiquissimiq; Gręcorum olim Vertentem annũ " metiebantur, Solis autem Annus est, cùm ad idem Sol " punctum, vnde profectus est, suapte motione redierit. " Et hactenus Basilius, quem diligens Lector videre poterit. Sed hic de solo Vertenti ac Mundano Anno agitur, vt patet ex subiectis.

Tunc ille verè vertens Annus adpellari potest, in quo vix dicere audeo, quàm multa sęcula hominum teneantur &c.

Mundani Anni Diuturnitas.

Opiniorum varietas.

Cic.

Docet Mũdani siue Magni aut verè Vertẽtis Anni, tunc demũ fore finem, cum omnia Sidera, Stellęque vniuersæ (quarum proprium motum sentire aut deprehendere nequit visus humanus) à certo loco, ad eundem locum ita redierint, vt ne vnum quidem sidus aut Stella in alio loco sit quam in quo fuit &c. Sed de hoc difficilis existit Quæstio. cùm alij hoc, alij illud: Magno Anno tribuant spatiũ. Cic. quidem 2. de Nat. Deor. ex Mathematicorum sententia, dicit illum effici, cùm Solis & Lunæ & quinq; errantium ad eandẽ inter se comparationem, confectis omnium spatijs, est facta conuersio. Atq, hoc quidem licet admodũ controuersũ sit, veluti certum ac definitum ponit, duobus Versibus

(ab ipso

(ab ipso Cic. adhuc puero cōuersis) Aratus, sic inquiēs:
» Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
» Cùm redeunt ad idem cæli, sub tegmine signum.
Et quia de illo tot sūt opiniones (quarū multas refert Censorinus.
» Censorinus) benè visus est dicere Africanus, vix dicere
» audeo q̄ multa hominū sæcula teneantur. Et hunc Annū Aristarchus æstimat esse Annorum bis millenorū, quadringentorum quinquaginta duorum. Herodotus decies millenorum & 800. alij aliud spatium constituerunt, Alij etiam infinitum esse voluerunt, neq; in se vmquàm reuerti putarunt: & hoc visus est significare Plato, dicens Tempus illud esse infinita multitudine. idemq; Cicero (inquiens) vix dicere queoq̄ multa hominum sæcula contineantur. Atq; in re vsqueadeo dubia, merito visus est Africanus dubitasse prudenterq; à Quæstione intricatissima, assensionem cohibuisse. At Macrobius, motus loco illo Ciceronis, vbi paullò
» post, dicit; Huius quidem Anni, scito nondum vigesi-
» mam partem esse conuersam &c. in coniecturā venit, Annum illum Magnum, quindecim millibus Annorū esse à Cicerone definitū, & Physicos nonnullos huiusce opinionis adducit, quamquā arguta magis, quam vera hæc eius (quod pleriq; docti volunt) videatur sententia. cùm & ipse Cicero variet, dicatq; in Hortēsio: Hūc Annum finiendum, demum, post duodecim millia annorum, noningentos & quinquaginta quattuor Solstitiales &c. Sed hæc τροπικῶς, potius eū dixisse verisimile est: atq; certum pro incerto tempore posuisse, illudq; quasi minimam partē intellexisse, sicuti de Hominis gloria, quam ait, vix ad vnius Anni exiguam partem pertinere posse &c. Atq; hæc dicta sufficiant, de Magno illo Anno.

Aristar. Herodot. Plato. Cicero. Macrobij coniectura. Cic. in Horten. Sententia verisimilior.

Namq; vt olim deficere Sol hominibus, exstinguiq; visus est, cùm Romuli animus hæc ipsa in Templa penetrauit &c.

CIcero non vult asserere illum incepisse primū Annum, quum Romuli animus in Templum immigrasse

graſſe creditur : Sed tamquam exempli loco illud tempus accepiſſe videtur, quod ea res ex hiſtorijs & magnitudine rerum geſtarum nullis nō eſſet nota: Hiſtoria verò quæ hic inſinuatur, fere talis eſſe videtur, ex Liuio ac Plutarcho. Conditor Vrbis Romę Romulus, magnis atq; diuinis operibus in vita perfunctus, Anno ab vrbe cōdita, ſeptimo & trigeſimo, exercitū ad Capręę paludem ad concionem euocauit: & ſubito exorta tēpeſtate ex Tonitribus, fulminibus, niuibus, & dēſiſsima nubium caligine, Sol interuentu Lunæ, hominibus extingui eſt viſus, Romulus autem, interea in cælum abręptus eſt, & numq̄ in terra hominibus viſus, poſtea Sed hoc figmentū potius, quam res verè geſta videtur de morte Romuli : De qua varij, adeo variè ſcripſere atq; ſēſere. Vide Plutarchū, in vita Romuli. Val. Max. lib. 5 c. 3. Florum, Cic. 1. legum, Ouid. 2. Faſt. & 14. Metam. Aug. cap. 15. 3. ciuit. Dei. Alij ſecus ſtatuerūt, neque mirum, cùm in his, multa ſint figmenta, & ita quidem à Romanis priſcis habita.

Liuius. Plutarch. Mor Romuli. Plutarch. c. 67. Val. max. Flor. lib. 1. c. 1. Cic. Ouidius. Auguſt.

Cuius quidem Anni, nondum vigeſimam partem ſcito eſſe conuerſam &c.

Macrob.

HAc de re ſi placet Macrobiū audi; Peracti (inquit) fuerant, cùm Scipio in Africa militaret, à diſceſſu Romuli, Anni 573. Anno enim ab vrbe cōdita 607. hic Scipio deleta Carthagine triumphauit. Ex quo numero, Annis remotis triginta duobus Regni Romuli, & duobus qui intra Somnium Scipionis, & conſummatum Bellum fuere; 573. à diſceſſu Romuli, vſq; ad Scipionis Somnium remanebunt, hinc verè ab eo dictum fuiſſe conſtabit (ſi ita ſit) nec dum vigeſimā partem Mundani Anni fuiſſe conuerſam à fine Romuli, vſq; ad Scipionis Aemiliani Somnium, & militiam. Sed de hoc Commento, paullo ante diximus ſatis.

Igitur altè ſpectare ſi voles, atq; ad hanc ſedem & æternam domum contueri &c.

Simile

SImile est illud quod alibi in Tuscul. refert, hisce verbis; Quid potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusq; mundi nota sit magnitudo; nam quid aut in studijs humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate, magnum Sapienti videri potest, nihil inopinatum, nihil omnino nouum; Atq; idẽ ita in omnes partes aciem intendit, vt semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atq; angore viuendi, vt quemcumq; casum fortuna inuexerit, hunc aptè atq; quietè ferat &c. Monet itaq; Auus Nepotem, vt omni laude humana postposita, præmijsq; hominum spretis, se totum cælestium contemplationi, virtutũq; exercitio dedat, quod si præstiterit, fore adseuerat, vt vnicam illam honestatis formam cognoscat, quæ ex omni parte sui vsqueadeò est pulcra, vt vel solo suo splendore ad sui amorem, quemlibet virtutis amantẽ pertrahere queat &c.

Cic.lib. 3. Tusc. quæstionum.

Virtus suis illecebris trahit ad verũ Decus.

Tu vero enitere & sic habeto, te non esse mortalem &c.

DOcere vult cum Platone, hominem non esse externam illam formã corpoream, sed Hominem suã animam esse, cuius immortalitatem, ab hoc loco vsq, ad finem Operis comprobare intendit, idque hoc fine, vt bona hæc caduca, quibus hisce in terris dũtaxat frui licet, contemnat Africanus, & ad æterna illa quæ vocat bona, corpore deposito contendat: Corpus siquidem hoc (vt loquitur alibi) est mortale, Animi verò motus sempiterni. Cæterùm huius atq; Platonis opinioni, pręferenda est Aristotelis, adseuerantis, non Hominem esse Animam tantum, sed ex anima & corpore constitutum. Et sententia Varronis adstruentis, Hominem nec animam nec corpus, sed ex vtroq; constantem, Atq; ob id 19. de Ciuit. Dei commendatur ab Augustino, quem cum Diuo Thoma 1. par. q 75. art. 4. & q. 76. art. 1. ac Philosopho lib. 2. de Anima hanc sententiam tuentibus, legere licebit.

Plato in Alcibiade. 1. ac alibi.

Cic. in Oratione pro Sestio.

Platonis ac Cicer. sententia refellitur.

Aristo. Varronisq; sententia probatur.

Augustinus Varronis sententiã probat.

D. Thomas.

Aristoteles.

Deum

Deum igitur te ſcito eſſe: ſiquidem eſt Deus qui viget, qui ſentit, qui meminit &c.

Anima quo pacto Deus adpelletur.

QVia Anima Immortalis eſt, & corpus hoc ſuum regit atq; gubernat, quemadmodum & ſummus ille Deus immortalis & æternus, mouet, moderaturq; totum hunc mundum: factum eſt, vt per ſimilitudinẽ quandam earum rerum, quibus Anima Deum repreſentare videtur, cum Philoſophis quibusdam priſcis, ipſam Animam Deum nuncuparit. Hinc quoq; in Tuſculanis quæſtionibus, dicit Humanũ animum decer- « ptum ex mente diuina, & cum alio nullo, niſi cum « ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poſſe. Et « in ijsdem Quæſtionibus alibi; Ergo animus, qui vt « ego dico diuinus; vt Euripides audet dicere Deus eſt « &c.

Cic.lib.5.Tuſc. quæſtionum.

Et vt Mundum ex quadam parte mortalẽ &c.

Mundus quomodo ex parte mortalis, & quomodo immortalis.

Ariſtoteles.

QVantum ad id attinet, quo hic adſeritur, Mundũ ex quadam parte mortalem; Sciendum eſt ſecũdum Philoſophiam: Mundum (ſi reſpectus ad Corpora cæleſtia fiat) per ſe totum immortalem eſſe, ſiquidem illa, teſte Ariſtotele 1. de Cælo, cùm contrario careant, & interitus ſunt expertia; Ex parte immortalis eſt in Elementis, quæ ſecundum ſe ſunt immortalia, At ſecundum partes interitui ſubiecta: Quoad verò hæc inferiora, docet Philoſophia ipſaq; rei veritas cõ « firmat: Infra Lunam mortalia atq; caduca eſſe omnia, « præter Animos hominum, vt ſupra eſt oſtenſum, adprobatumq;. Atq; hinc Macrobij conuincitur Error adſerentis (in huius loci explicatione) nihil omnino in hoc mundo interire &c.

Macrobius reprehenditur.

Nam quod ſemper mouetur æternũ eſt, quod autem motum adfert alicui &c.

HAec eo ſpectant, vt doceat Animam hominis eſſe immortalem; Eſt autem prima hæc ratio adducta à

cta à Socrate in Phædro, & non in Phædone Platonis (quod tamen videtur voluisse Macrobius) & a Cicerone in sexto lib. de Rep. vsurpata, quod & ipse de se primo Tusc. Quæst. confitetur, vbi è verbo ad verbum, hæc ipsa quæ hic adducuntur refert. Poterit vero Prior pars huius, ad hunc explicari modum; Sunt nõ nulla quæ ipsa res alias mouent, & interim ab alijs mouentur, Exempli gratia: In magno hoc mundo, Planetæ mouent ipsi quidem Elementa, & mouentur à primo illo impulsu contorquentis omnia secumq; rapientis cæli: In corpore quoq; humano, calidum & humidum, totum corpus salutari atq; vitali motu cient, mouentur tamẽ hæc ipsa ab anima & mente. Hæc igitur quæ alijs præbent, ab alijs accipiunt, cumq; ab alijs non amplius accipiunt, etiam beneficia alijs impertiri cessant, intereuntq; &c.

Phædri & non Phędonis locus contra Macrobium.

Vtriusq; partis explicatio accommoda.

Exempla.

Petitur quibus Argumentis Plato ac Cicero Animorum probent Immortalitatem?

ARgumenta Platonicorum quibus & Cicero maximè hoc in loco ad Animæ humanæ Immortalitatem probandam vtitur, si in formam debitam reducantur, ferè eiuscemodi videbuntur, cuiusmodi sunt illa, de quibus in Analyticis suis agit Aristoteles, quibus scilicet, quid in Orbem probare docet: Colligitur autem eorundem forma talis.

Immortalitas Animorum adseritur.

Anima ex se mouetur, Quidquid verò ex se mouetur, semper mouetur, Ergo Anima semper mouetur Ex huius conclusione, nascitur alia Argumentationis forma, hæc: Anima semper mouetur, quod vero semper mouetur, immortale est: ergo, Anima est immortalis. Vt autem priori ratiocinatione, Animam semper moueri, ita posteriori, eandem immortalem esse probatur. Sequentia eodem Argumentandi genere confirmantur:

Anima ex se mouetur, Quod autem ex se mouetur est principium motus: Ergo, Anima est principium

motus

motus. Atq; hinc colligitur, Animam non esse natã, eamq; ob id immortalem, Hoc modo:

Anima est principium motus, quod autem principium motus est, natum non est: Ergo, Anima nata nõ est, Quod natum non est, immortale est: Ergo Anima est immortalis.

Demonstrationes Platonicæ reducuntur ad Soritem.

Poterunt tamen hæ Ratiocinationes, similesq; Platonicorum Demonstrationes, vnico colligi comprehẽdiq; Sorite tali; Anima ex se mouetur, Deinde, quod à se mouetur, à nullo alio mouetur, Quod à nullo alio mouetur, Est principium mouendi, Quod Principium motus est, non fit ex alio (alias enim rationẽ Principij perderet) Si non fit ex alio, sed alia ex eo, nõ est natum; Si non nascatur, neq; occidit (nam sic motus Principium periret) Quod natũ non est, omnisq; interitus expers, est Immortale; Ergo Anima est immortalis &c.

Porro quantum ad ea attinet quæ in hanc partem (ab eo loco qui incipit: Nam quod semper mouetur « &c. vsq; ad illũ; Hanc tu exerce optimis in rebus &c.) « adduxit Tullius; Sciendum est, ex Platone desumta omnia, & quidem è verbo quasi ad verbum ex Phædro eiusdem expressa, & in Catone Maiori repetita. Ceterùm, Aristoteles ipsaq; rei veritas in plærisq; adductis refragantur: Neque enim verum est quod dicitur; Animam hominis natam non esse, Nam sic sequeretur, illam ab æterno fuisse, quod absurdum simul & falsum esse commonstratum est supra, vbi ostendebatur, Animas ante corpora non fuisse. fol 31.

Platonis Verba.

Rationib⁹ Platonicis, Aristoteles, ipsaq; rei veritas aduersatur.

Deinde quod hic adseritur, Animam ex se moueri, Aristoteles apertissimè negat, validissimisq; Argumẽtis refutat, maximè lib. 1. de Anima, cap. 3. & lib. 7. de Naturali Auscultatione, cap. 1. & 2.

Aristoteles contra Plat. ac Cic.

Vel concidat omne Cælum, omnisq; Natura consistat, necesse est &c.

HOc ideo dictum videtur; Nam cessante, quiescente, aut illa excelsissimi Cæli mente mortua; neq; vlla

vlla alia creatura, ab eiusce mentis impulsu, motum, vim ac vitã recipere posset, quippe quæ aut quiesceret, aut exstincta iaceret.

Quod enim est Anima, id motu cietur, interiori & suo &c.

ANima secundum Philosophos, etiam corporis Somno pressa, motu mouetur aliquo, non quidẽ externo aut locali (vt dicunt) sed interno & suo: Semper enim cogitat, intelligit, contemplatur, imaginatur speculaturq; aliquid, nullo temporis momento feriatur, interquiescitq;.

Anima semper aliquo mouetur motu.

Hanc tu exerce optimis in rebus &c.

POstquam de Immortalitate Animæ, eiusq; motu multis egit, iam quo pacto, ea, eiusq; exercitijs vti conueniat, sub persona Africani Senioris ostendit, & sanè admodum opportunè virtutes suadere videtur, posteaquàm quanta quamq; diuina virtutibus debeantur præmia edocuit. Huiuscemodi etiam in Conclusione Libri Decimi, De Rep. vtitur Parænesi Plato, in hæc verba; Quamobrem si sermonibus meis obtemperabimus, immortalem fore Animam arbitrantes, talemq; vt & mala posit & bona omnia sustinere, viam semper ad superiora ducentem sequemur, iustitiamq; cum prudentia omni ratione colemus: vt & nobis ipsi simus & dijs amici, dùm hanc ducimus vitam, & postquam virtutis præmia reportauerimus, tamquam potiti victoria & triumphis, & hic & in millenatio annorum itinere, de quo diximus, feliciter habeamus &c.

Parænesis ad Virtutes opportuna.

Plato.

Sunt autem hæ optimæ curæ &c.

DIcere vult curam & tutelam Patriæ, præpotenti Deo longè gratissimam, quippe qui animos à se

creatos eo fine in humana corpora infuderit, vt essent qui terram inhabitarent, eandemq; tuerentur: Finxit autem hominem, natura atq; ingenio (quod idem Plato facit) ad ciuilem conciliationem aptum, & vt ciuitates incoleret, hominũq; societates frequentaret, propensũ.

Plato.

Namq; eorum animi, qui se voluptatibus corporis dediderunt, earumq; se quasi ministros præbuerunt &c.

Plato in Phędone. Cic. in Tusculanis.

Socrates (vt Primo libro Tusculanarum Quęstionũ ex Platone refert Cicero) cum pænè iam in manu mortiferum istud teneret poculum, loquutus ita est, vt non ad mortem, verùm in cælum videretur adscendere, ita enim censebat; Itaq; disseruit duas esse vias, duplicesq; cursus animorum è corpore excedentium: Nam qui se humanis vitijs contaminauissent, seq; totos voluptatibus corporis dedidissent, & earũ se quasi ministros (vt hoc in loco disserit præclarè Tullius) præbuerunt; quibus cæcati, veluti domesticis vitijs atq; flagitijs, se inquinassent, vel in Rep. violanda, fraudes inexpiabiles concepissent, ijs deuium quoddam iter esse seclusum, à Concilio Deorum. Qui verò se integros castosq; seruauissent, quibus fuisset minima cum corporibus contagio, seseq; ab ijs semper seuocauissent, essentq; in corporibus humanis vitam imitati Deorum, ijs ad illos, à quibus essent profecti, reditum facilem patere &c. Hisce non admodũ dissimilia sunt, quæ idem in lib. de Vniuersitate, in hæc verba recenset. Qui rectè & honestè, curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad astra facile reuertetur, non qui aut immoderatè aut intemperanter vixerit &c. Et hæc pro Caio Rabirio: Bonorum virorum mentes, mihi diuinæ atq; æternæ videntur, & ex hominum vita, ad deorũ religionem, sanctimoniamq; demigrare &c. Sic in Paradoxis; Improbo nemini benè potest esse &c. Et lib. 2 de Inuentione; Impijs apud inferos, sunt pænæ præparatę &c. Et Philippica 14. Impij apud inferos pœnas luunt

Duæ viæ, duplicesq; curs⁹ animorum è corpore excedentium. secundũ Platonem, ac Ciceronem.

Cic. in lib. de Vniuersitate.

Cic. pro C. Rabirio.

Cic. in Paradoxis.

Cic. de Inuentione.

Cic. in Philipp.

Iuunt &c. Atq; hæc præclara sunt Documéta, neq; Christianę veritati multùm repugnantia, licet ex Ethnico pectore depromta, longeq; veriora ijs, quæ de hominum excessu, aut potius Transmigratione, in Phædro, atq; Phædone, cum Pythagora sensisse visus fuit Plato: cuius quis sit sensus, quantum consequi potuimus, Quæstione subiecta aperuimus.

Anne Plato reuerà huiuscemodi μετεμψύχωσιν *siue Animarum Transmigrationem senserit, adserueritq;?*

μετεμψύχωσις

DE hoc tametsi difficile sit quid certi, contra Platonem, vel pro eodem determinare, tùm propter abditos subinde sensus Diuini illius Philosophi, vt quo pacto intelligi debeat, non satis semper perspici posit; Partim etiã, propter diuersorum discrepantia ingenia, hanc atq; illam partem tuentia. Tamen ne (dùm iusta sese offert, ea de re aliquid Commẽtandi occasio) dicere videamur nihil, vt certi quid statuatur, referam loca Platonis principaliora, cuiusmodi sunt Phædri atq; Phædonis, ex quibus solet huiusmodi μετεμψύχωσις conuinci, ac posteà quid ipse cum plærisq; alijs, probabiliorem verioremq; fortè sententiam sustinentibus tenendum censeam, liberè proferam. Ac primo quidem (vt de re vniuersa cõstet) Plato in Phædro, paullò post „ Principium sic habet, sub persona Socratis: Sed meipsum „ considero, vtrum ego sim bestia aliqua Typhone „ multiplicior, ardentiorq;, & furiosior, siue placatius „ quoddam & simplicius Animal, diuinæ cuiusdam, mi„ tisq; sortis natura particeps &c. Idẽ, ibidẽ, quasi circa medium, ponens nouem Animarum conditiones, tandẽ „ infert hæc Verba; In idem vnde profecta est cuiusq; ani„ ma, annis decem millibus non reuertitur, nã alas ante „ hoc spacium non recuperat, præter illius animam qui „ Philosophatus est sine dolo, vel vna cum sapientiæ stu„ dio pulcritudinem amarit. Hæ quidem tertio ambitu „ annnorum mille, si ter hanc ipsam deinceps elegerint vitam,

E quibus locis Platonicis soleat conuinci μετεμψύχωσις

Sententia Platonis i Phędro.

Hæc faciunt p loco illo quem in fine Somnij adducit Cicero his verbis Nec in hunc locũ, nisi multis exagitati sæculis, reuertũtur &c.

vitam, sic recuperatis alis, post tria millia annorum " euolant, abeuntes. Aliæ vero primæ, vitæ finem conse" cutæ iudicantur, iudicatæ autem, aliæ sub terra in iu-" dicij locum euntes, meritas illic pænas sustinent, aliæ " in cæli quendam locum per iudicium eleuatæ, ita de-" gunt, vt dignum est ea vita, qua in hominis figura vi-" xerunt. Millesimo * anno ambæ redeuntes, sortem & " electionem secundæ vitæ suscipiunt, deligit vnaquæq; " eam vitam quam velit. Hinc & in bestiæ vitam, huma-" na anima transit, & ex bestia rursus in hominem, si " modo ea anima, quandoq; prius fuerit hominis: Nam " quæ numquam veritatem inspexerit, in hanc figuram " deuenire non poterit &c. Atq; hæc ex Phædro. In Phæ" done porro (vbi ipsa μετεμψύχωσις, paullò videtur exprimi apertius) ex sententia Socratis dicit, Malorũ " animas dantes pænas improbè anteactæ vitæ, tamdiu " circa monumenta sepulcraq; reuolui atq; oberrare, " quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursus " induant corpus. Induunt autẽ (inquit ibi) vt decẽs est, " eiusmodi mores, quales ĩ vita exercuerũt, Quales dicis " mores O Socrates; Eiusmodi, eos quidẽ, qui ventri de" diti, per inertiam atq; lasciuiam vitam egerunt, neque " quidquam pensi pudorisq; habuerunt, decens est asi-" nos similiaq; subire &c. Qui autem iniurias, tyranni" des, rapinas præcæteris secuti sunt, in luporum, acci-" pitrum, miluorum genera, par est pertransire, &c. Si-" militer & in cæteris; Abeunt enim in genera quælibet, " quibus in vita mores similes contraxerunt &c. Plura eiusdem Materiæ atq; sententiæ, ibidem, ac in Timæo, similiter & Decimo de Rep. reperire licebit. Et propter hæc, se errore Platonis (si modo illius insimulandus sit) transcribi passi fuere plurimi, Ac inter alios quidem, Plotinus alioquin nobilis Philosophus, & inter Platonicæ sapientiæ sectatores facilè Princeps, dignus qui cum Timæo (vt loquitur ille) potius stipẽdia faciat, ac vbiq; Triarium, neq; quandoq; rorariũ agat. Interim & hunc & eius magistrum Platonem excusabimus, illumq; hæc figuratè ac ænigmaticè sub persona Pythagorica, excursu quodam Poetico

*1000. annorũ ponitur in 10. de Rep. tempus μετεμψύχωσις

Phædo Platonis apertius μετεμψύχωσιν adstruere videtur.

Plotinus quoque in μετεμψυχώσιος adsertione, visus fuit errasse.

Excusatur Plato, atque Plotinus.

de Transmigratione animarũ ex vno in aliud corpus, persequutum fuisse, censebimus atq; dicemus, cum Trismegisto illo Aegyptiorum Pontifice, adseuerante inter cætera, diuinam legem non permittere, hunc humanarum animarũ, in bestias transitum. Timæus certè Locrẽsis Pythagoricus clarissimus, in libro quẽ de Mundo & Anima conscripsit (cuius ipse posteà in Timæo exstitit imitator Plato) migrationem humanarum animarum, adserit falsò induci, ad hominum impiorum terrorem: vt si non virtutis amore, saltem formidine pœnæ, à vitijs actionibusq; improbis, sese abstrahant, ac benè beateq; viuant, &c. Hæc ille. Atq; hodiè quidem eiusdem est Sententiæ, in omni disciplinæ genere absolutissimus, D. Guilielmus Sirletus Calaber, S. R. E. Cardinalis amplissimus, Et ingenio ac doctrina clarus, D. Philippus Gerius, Assisiensium Antistes vigilantissimus, quos tamq̃ dignissimos, mihiq; Dominos semper obseruandissimos. hic honoris officijq; caussa, nominare visum fuit. Et sanè non immeritò suscipitur tanti Philosophi Patrocinium (cui tantum tribuit posteritas) præsertim in Refutatione μετεμψύχωσιος: quæ vana simul καὶ ἀδύνατη, ab omnibus verè doctis, ingenuisq; dici solet: Vana quidem, eo quòd, necesse non fuerit, animas in noua inducere corpora, cùm idem Artifex qui aliquando Primas fecerat, semper & nouas producere potuerit; Ἀδύνατη siue impossibilis (vt ita dicam) confirmatur, eo quod rectæ rationis Anima, tam immutare naturam sui status non possit, quam ignis aut deorsum niti (vt loquitur Lactantius) aut in transuersum fluminis modo, flammam suam fundere. Quare vt finiam, Nos Christiani, ipsi veritati adhærescemus tutius, & duplices illas ex hac vita emigrantium vias (quarum paullò antè, tùm ex Platone tùm ex varijs Ciceronis locis mentionem fecimus) ad verum Catholicumq; sensum traducemus: vnam bonorum, alteram vero malorum statuendo. De quarũ vtraq;, agit apud Mathæum, Christus (dum inquit.) Et ibunt hi qui bona egerunt in vitam

Sententia Trismegisti ꝑ Platone.

Timæus Pythagoricus ꝑ Platone.

Sententia Guilielmi Sirletti, & Philippi Gerij, pro Platone.

Transmigratio Animarum Vana & Impossibilis.

Matth. 25. cap.

tam æternam, illi vero qui mala fecerunt in ignem æternnm &c. Atq; hac vera Philosophiæ fide, Commentario nostro finem imponimus, & ad Paraphrasin nostram, rectà pergimus.

FINIS COMMENTARII.

GERARDI VOSSII EBVRONIS A BORCHLOON.

Luculentissima in Scipionis Somnium Paraphrasis, in qua quibusdam mutatis atque adiectis, quæ Historiam concernunt, breuiter aperiuntur, & res ipsæ, paullò fusius dilucidiusq;, referuntur.

GERARDVS VOSSIVS

ILLVSTRI AC GENEROSO IVVENI D. HORATIO MORONO S. P. D.

SAEPISSIME mihi cogitanti Suauiſſime Horati, de varia rerum Humanarũ conditione, maximè illud conſiderandũ videri ſolet, quænam earum, homini potiſsimum queãt eſſe Ornamento ac commodo: Alij diuitias proponunt, bona alijs placet valetudo, alijs potentia, alij honores quæritant, multi etiã voluptates ſolas ſectantur, & illud belluarum potius quam hominum eſt: ſuperiora autem in ſe quidem videntur præclara, at incerta atq; caduca, non tàm in noſtris conſilijs, atq; fortunæ temeritate (vt loquitur ille) poſita. Ego autem maximè probandam eſſe ſententiam eorum iudico, qui ſtatuunt nihil æque conueniens aptumq; homini: quam vnde venerit, & quo tendere debeat conſiderare, Creatorem ſuum ſuſpicere, virtutum ſplendore delectari, honeſtisq; ſtudijs tempus ſuum tranſmittere: Atq; his quidem, ita vacas, vt potius nihil æſtimes, ita ijs deditus es, vt inter alia, optimis quibusq; ingenijs, competere maius quid poſſe, non cenſeas. Noui ſenſus illos tuos, exploraui ingenium, ſermonum atq; morum tuorũ ſuauitatem, haud quaq̃ mediocre amicitię condimentum probo, communibus ſtudijs delector, & de Doctoratus laurea, hiſce diebus poſt diligens longumq; in Philoſophicis ſtudium, magna cũ laude, ſuſcepta, gratulor. Non animo ſublandiẽdi, quod vilis abiectiq; ſolet eſſe ingenij, & à nobis alieniſsimi, hæc dico: ſed veritati ipſi teſtimonium aliquod perhibẽdi, ipſamq; virtutẽ quę ſua nõ eſt priuanda laude, condecorandi, meũ in te amorẽ patefaciendi, & te ad hæc ipſa virtutum ſcientiarumq; inſignia, pari conatu (licet equo currenti calcar addere non ſit neceſſe) proſequenda, incitãdi gratia, cõmemoro. Quare macte virtute Studioſiſsime Horati, Iuuenis eximie, quo pede cępiſti, ſic benè ſemper eas: Hãcq; in Scipionis Somniũ Paraphraſin, quam quorũdam rogatu, vt plæriſq; pro

dessem, inter reliquas in idem opus Elucubrationes conscripsi, tibi vnico meo, cunctisq; studiosis quibus plurimum debemus, legendam examinandamq; propono, & vt eandem Illustrissimo patruo tuo Cardinali Morono, viro æternitate dignissimo, ac Patrono meo optimo, reliquaq; ipsi nuncupata, sicuti me meaq; studia commendare es solitus, deuoueas cupio. Vt autem hic de Intentione constet. Caussa cur hanc παράφρασιν composuerim, inter alias, vel præcipua fuit: tùm vt quorumdam desiderio facerem satis, tùm vt alios ad eiuscemodi sensuum certamina, æmulationesq; litterarias prouocarem. Nam licet concedamus, illis quæ Prisci dixere prius, difficile esse meliora reperire: haud tamen admittendum reor, natura sua eloquentiã adeo pauperem atq; ieiunam, vt vna eademq; de re nisi semel benè dici possit. Atq; in hoc variandi commutandiq; sermonis genere, qui se occuparit, & stilum dicendi scribendiq; optimum magistrum, cultiorem, ornatioremq; reddet, seipsum exercebit, & maiorem deniq; rerum ac eloquentiæ suppellectilem cõparabit. Quare minimè illorum arbitror subscribendũ sententiæ, qui vertere Orationes latinas, scriptaq; aliorũ vetant, quia optimis occupatis, quidquid secus dixerimus, necesse est esse deterius: Neq; ego in Paraphrastico hoc æmulationis genere, me aut Ciceronẽ superaturũ, maiusue eo verborũ ac rerum flumen in medium adducturum, putaui, Ceterùm quod Paraphrasti propriũ est, & verba alijs atq; alijs verbis Scholastico more reddere, & quia παράφρασις ipsa, nõ est nuda tantũ vocũ interpretatio, secundum Fabium, etiam fusius dilucidiusq;, res explicare, subinde sensus apertiores referẽdo, nunc Historię vim breuiter attingendo, sum conatus. Quę cuiusmodi sint legendo congnosces, eaq; qua es indole præstantissima, labores meos amplectēris, ac qualemcumq; hanc meam de tua persona testificationem, Symbolum erga te obseruantiæ, amorisq; mei syncerissimũ, Boni consule, pariq; quo hactenus animi candore, Vossium tuum cõplectere, ac Benè feliciterq; Studiosorum optime, optimorumq; studiosissime Horati, Vale.

Paraphrastis intentio.

Occurritur cauillis Paraphrases reijcientiũ.

Vtilitas παραφρασεως.

Paraphrasis cõditio.

Quint. lib. 10. cap. 10.

PARA-

PARAPHRASIS GERARDI VOSSII EBVRONIS A BORCHLOON

LElius interrogatus nullasne in publico Nasicæ ſtatuas in interfecti Tyranni remuneratione vidiſſet locatas, inter alia ſic reſpondit Scipio: Tametſi conſcientia benè actæ vitæ, ſit maximum virtutis præmium ac multorum benefactorum recordatio iucundiſſima, ea tamen cũ ſit excelſa, maiora quam ſtatuas plumbo infixas, aut areſcẽtes laureas flagitat, quæ cuiuſmodi ſint ſtudiosè inquirit Lelius. At Scipio cupiens Somnium quod multo condiderat tempore, tandem recenſere, & viridiora ac ſtabiliora illa premiorũ genera proponere, ſibi, ea ipſa explicandi, occaſionem ſumit, ac ſic inchoat:

CVM tertio Bello Punico, miſſus eſſem à M. Manilio Proconſule, cui Tribunus quartæ Legionis per ſortem oblatę eram, ad Numidarum Regem fortiſſimum Maſſaniſſam, qui me litteris efflagitauerat, feliciorem mortem ſuam futuram ratus; ſi in dextræ meæ complexu, ſupremum ſpiritum ac mãdata reponeret, regniq́; ſui diuidendi arbitrũ, conſtitueret; Itaq́; nihil habui potius, duxique prius, quam vt veterem illum Populi Romani amicum ac ſocium, familiæq́; noſtræ ob reſtitutum regnum, & Syphacem finibus coartatum, coniunctiſſimum atq; amantiſsimũ adirem, quod- Perſona Scipio.

que

què à me fieri vellet, sedulò exsequerer. Is simulatq; me contuetur, occurrit, & medium complectitur, in lacrymas præ nimia lętitia erumpens, cœlum suspectans, ac Soli alijsq; Dijs, quos Afri colebant, gratias agens; quòd priusquam vitam cum morte commutaret, suo Regno atq; hospitio, mereatur Superioris Scipionis Africani (cuius nomine rebusq; gestis vehementer delectabatur) Nepotem excipere, Cœpi autem perquirere de negotio Regni ipsius, ille vicissim de statu Reip. Romanæ; Atq; sic cum fructu vtriusq; nostrum, illius diei fefellimus tædium; tractati hilarè, magnifico admodum apparatu, eoq; prorsus Rege digno, colloquium in magnam noctis partem, protraximus: Cùm Massanissa vir ætate venerandus, centesimum pœnè ætatis annum agens, aliud nihil in ore haberet, quàm Aui mei Africani nomen, memoriaq; repeteret, non modò res omnibus perspicuas, quęq; ab eodem, non paucis in locis gesta fuerunt eximiè, verùm etiam, intimos quosquè illius sensus reconditè, memoriterq; narraret. Deindè vt ad quietem itum est, me ex longinquo itinere (uarijsq; mutuo sermonibus, vltro citroq;, & quidem diutius collatis) fessum, inuasit corripuitq; somnus solito grauior. Ceterùm quoniam pluribus actum erat de Auo, fitq; plærumq;, vt id quod cogitatione atq; colloquio in die agitauimus, inter dormiendum oboriatur: sicuti accidit Ennio, de Homero commentanti, quocum posteà sibi visus est in monte Parnasso versari, seq; affatim de Castalio illo fonte potare, sibi cum Pythagoreis persuadens, illius animam in se transfusam.

ſam. Africanus itaq; ſenior, ſeſe mihi ea exhibuit figura ac facie, quæ, mihi ex effigie illius in atrio meo ſecundum antiquam Romanorũ conſuetudinẽ, ſeruata, quàm ex eiuſdẽ memoria, à me dũ viueret viſi, erat notior: Eum autẽ vt agnoui, tanti viri veneratione conſternatus fui; At ille, animum tuum, recipe, horrere deſine, quæq; tibi relaturus ſum, memoriæ manda. Proſpicisne mi Aemiliane, eminus illã Vrbem, quã ego in ſecundo bello Punico, coegi ſeſe dedere Romanis, nobisq; parere, atq; hęc iã tertio bellũ redintegrare vult, neq; tranquilla poteſt frui pace (volebat autẽ Auus antiquiſſimã Africæ Ciuitatẽ Carthaginem dicere) Hanc, inter hoſce duos annos ſequentes, conſulari poteſtate dux, oppugnabis, deuaſtabis: proprioq; marte, ac virtute cenſeberis tibi Africanorum cognomẽ adquiſiuiſſe, quod quodã ſucceſſu hæreditario, à nobis ad te defluxit. At hæc poſtquã præſtiteris, vbi Romani Imperij Aemulã deleueris, vbi de Carthagine triũpharis, morũ Populi Romani Iudex exſtiteris, legationisq; munus in Aegypto, Syria, Aſia, ac Græcia obieris. In Aegypto quidem res inter Alexandrum & Ptolomæum Auloetem compoſueris; In Syria Diodorum, à quo fugatus erat Demetrius, & Alexander Alexandri filius Rex creatus, expugnaueris; In Aſia minori, pacis fœdera inter Pruſiam Bithynię Regẽ, & Nicomedem eius filium conciliaueris. In Gręcia denique Theſſaliam, quam Macedonum Rex Pſeudophilippus occupare volebat, ab inſultibus vindicaueris, poſteà ſecundò ad Conſulatus faſtigium eueheris, bellum atrociſſimum ſuſcipies, ſuſceptum

Legatiões Aemiliani cuiuſmodi?

ſceptum conficies, & munitiſſimam illam Celtibe rorum Vrbem Numantiam, quę prius per annos quattuordecim fruſtra à Romanis fuerat obſeſſa, ſi non viribus, fame certè expugnabis, delebis. Ceterùm cum eris curru triumphali in capitoliũ perductus, inuenies Remp. Romanam factionibus impijsq; conſilijs Graccanis exagitatam: Hic care Nepos, te virum oſtendes, & qualis quãtusq; ſis, re ipſa Populo Romano declarabis; Conſpicio ſiquidem hac tempeſtate, ita ſiderum cęleſtiumq; Sphærarum rationem compoſitam, vt præſcriptum tibi Fatis annorum numerum, videaris attigiſſe. Nam cũ anni tui ſepties octies curuos Solis reflexus conuerterint (id eſt vbi ſextum & quinquageſimum compleueris annum) duoq; hi numeri, ſeptenarius & octonarius, ſingulari ſua perfectione ac plenitudine tibi fatalem finẽ attulerint, omnes nominis tui memoriam excipient, te admirabuntur. In te ſolum ſeſe tota Roma quæ hactenus adeo fuit turbulenta, propinquorumquè ſeditionibus tantopere vexata atq; oppreſſa, conuertet. Ad te tamquàm vnicum Patronum & Patriæ liberatorem, vniuerſi confluent, optimi quiq; tua virtute delectabantur, qui nouis colonis preſſi vexatiq; fuere, ſibi propter te gaudebunt, tibiq; gratulabuntur. Latini ſocij, res tuas geſtas contemplabuntur, pænes te vnum & ſolum, Romanorum ciuium ſalus conſiſtet. Breuiter, Dictatoris munus cùm eris adeptus, adfiniumq; tuorum inſultus vbi repreſſeris, tuis quoq; conſilijs & inſtitutis. Remp. conſtabilias neceſſe eſt. Hic dùm exclamat Lælius, alijq; præſentes, vti Scæuola Fannius,

nius, Tubero, Philus, Manlius, qui mihi illas timebant insidias, ex imo pectore grauia ducerent suspiria, ijs suauiter Scipio, immotus arrisit, & facetè quasi dormiens eos ne quietẽ visionemq; suã impediant rogat, sed parum tẽporis & otij rebus tã arduis cognoscendis tribuãt; Reliqua (inquiẽs) mihi ab Africano vita defuncto, si placet, dici patiamini. Vt autem paratior sis nepos, ad Reip. negotium suspiciendum, susceptumq; tuendum, sic habeto; Omnibus ijs, qui patriam periclitantem discriminibus liberarint, laborantem rerum angustijs erexerint, exiguam et tenuem locupletarint, pro pręmio, æternam propositam esse beatitudinẽ, qua post hanc vitam in cælesti illa potituri erunt patria. Præpotenti siquidem Deo sub cuius nutu versantur omnia, rebusp. earũq; gubernatoribus & legibus, nihil est prius, nihil potius, nihilq; carius. Quemadmodum autem boni Rerumpublicarum Administratores, è cælo quasi delapsi sunt, ita illuc post labores Reip. nomine suspectos, tamquàm ad domicilium suum redeunt. Tunc ego (licet paullò turbatior non tàm, propter mortem quàm verius propter insidias, quæ mihi à propinquis nectebantur) sciscitabar Auum, quo in statu, essent res eius, & Parentis mei Paulli, aliorũq; qui è viuis excesserant, quorum nos animas cum corporibus simul interiße arbitrabamur, Ad hæc, Africanus respondit, eos viuere qui corporis compagibus quibus anteà quodam necessitatis munere functi erant, soluti sunt, & in cęlestem sedẽ euolarunt: Nam ea inquit, quam vos nominatis vitam, morti similis est, & ob id vitæ non meretur nomen.

Et parum rebus &c. Vide fol. 4.

nomen. Postea ab auo monitus, respexi, & Paullũ Aemilium Parentem meum carissimum, qui iam è viuis excesserat, ad me prodeuntem vidi: At ille, vt me ex eius inspectione, vidit lacrymãtem, medium complectitur, osculisq́; blandulis excipit, salutat. & sistere lacrymas iubet. Ego vero quia prę lacrymis dicere nil poteram, simulatq́; vim lacrymarum repressi, ad Paullum Parentem, sermonem conuerti; Ad quid, dixi, diutius in terris maneo, vmbratilẽq́; hanc vitam colo: cur non potius in cœlũ, relicto corpore, quocũq́; modo, mihi morte reperta, contendo: Ad quæ Paullus parens: Mors quidem (inquit) via est qua in cęlum peruenitur, sed non quæuis, non enim illa, quam sibiipsi homo, per manus violentas infert. At illa, qua ipse rerũ omniũ Dominus, mũdiq́; Gubernator Deus, ad se hominem reuocat. Hac siquidem conditione homines sunt creati, vt terram rotundam, quæ in medio mundi, reperitur sita, inhabitarent, conseruarent: Iisdemq́; contributus est animus, ex ignibus illis perpetuò viuentibus, quibus siderum stellarumq́; sunt nomina indita, quæ globorum figurã ob rotũditatem suam habent. quæq́; mentis ac Diuinitatis quasi cõsortes, circularem suum motum, mira velocitate perficiunt. Quæ cum ita sint Scipio, neq́; tibi neq́; alteri cuipiã, de præsidio ac statione vitæ, decedere licebit: nisi ille iusserit, qui ipse vitam concessit, alias enim hominis officium ab ipso Deo præscriptum, videbimini exsequi noluisse. Quod si ad nos venire properes, est quod maiorum tuorum vestigiis insistas, & sicut Africanus maior, et ego parens tuus, iustitiam tuearis,

pietatis

pietatis officia colas, & cùm benignus piusq́, erga parentes atque affines esse debeas, tùm certè in Remp. maximè gratus; In his siquidem, quisquis sese exercet, optimam ac compendiosissimam viã capesset, qua ad amænũillum locum, in quo piorũ cõquiescunt animæ, citissimè perduci queat. Osten debat verò niuei candoris circulum illum, quem Lacteum orbem, ex eo, quod Lactis colorem repre sentet, nuncupauere Gręci: Vnde mihi inspicienti, cuncta valdè visa sunt egregia, summaq́; admira tione digna. Sidera autem, eo in Hemisphæ- rio erant, in quo, ex istis terris, illa numquàm con speximus, & eius quidem magnitudinis erant Stel læ, cuius eas non diuinassemus prius, Et Luna quidem, quæ longissimis à primo cælo disiuncta est interuallis, terræ proxima est, minutissima decur- rẽs: Stellæ itaq́; ipsæ, sua magnitudine, Terræ glo bum vniuersum, quem tot hominum incolunt my riades, facile superabant; Ipsa enim terra mihi adeò adparuit exigua, vt etiam me regni nostri, cuius amplitudo terræ punctum attingit, planè puderet, Hanc ipsam dùm magis magisq́; obstupe scens inspicio, mentem in terris quasi defixam, eri gere monet sursum Africanus, & quibus ex rebus sint facta tẽpla, in quę ingressurus eram, iubet cõ templari. Rerum vniuersitas ex nouem cõposita est Sphæris siue orbibus, quorum supremus (extra quem nihil est, sed alios suo circumflexu ac ambitu tegit, omnesq́; comprehendit) supremum Deum representat, eò quòd Stellis innumerabilibus, quasi diuinis immortalibusq́; mentibus, est ornatus, con tinetq́; omnes globos inferiores quos secum ra-

pit,

pit, circumagitq́;, diei noctisq́; vicissitudines commonstrans; Huic septem Planetarum, subijciũtur orbes, qui motu opposito ex occidente in orientem voluuntur circulariter, sicut & ipsum cælum supremum. Ex his vnum sibi globum vindicat Stella illa, quam in terra, Saturno adscribunt homines, Hinc sequitur corporibus humanis admodũ conueniens & salutaris splẽdor Iouis, Hinc Martis sidus, quod ęquè suo ardore atq́; feruore obest, atq́; ille sua lenitate rebus inferioribus prodest. Postea lucidissimus sequitur Sol, qui in medio ferè totius vniuersi suam fixit sedem, & inter reliquos planetas instar Ducis alicuius (quẽ vt sequuntur, ita quoq́; præcedunt comites multi) incedit quasi medius, estq́; aliorum Planetarum gubernator, mundi illuminator, omniumq́; temperator, tantæ magnitudinis, vt cunctas Sphæras tã inferiores quã superiores illuminet, penetretq́;. Solem, tamquàm asseclæ, statim sequuntur Venus & Mercurius. Hinc infimum cęlorum ponitur, quod Lunam continet, quę quia ex se nihil planè lucis habet, suum lumen vniuersum à Sole mutuatur. Vt autem omne quod supra Lunam, immortale & sempiternũ est, ita quidquid Lunę subijcitur, corruptioni interituiq́; obnoxiũ est, solas hominũ excipio animas, quæ quia de mente æterni Dei (vt voluerunt illi) sunt desumtę, licet earũ corrũpantur moriantur q́; corpora, hæ tamen vsque manebunt. Terra vero quę nona est Sphæra in medio totius mundi sita, semper quiescit, infimumq́; locum tenet, & in eam vniuersa corpora grauia mouẽtur deorsum: Hæc cum attonitus inspexissem

atque

atque iam animum nonnihil reuocassem, ac ad me redissem Ecce suaue quoddã modulamen grataq́; nescio quarum rerum harmonia, meis influit auribus, quid istud sit interrogo; At Africanus auus; Sonus mi nepos, quem audis, distantijs inæqualibus, debito tamẽ modo, certaq́; ratione distinctis, ex orbium cælestium circumductu atq́; impulsu editur. Habet quippè hoc rerũ natura, vt sonus ex duorũ corporũ violenta collisione fiat: Aer.n. ipsius ictus interuẽtu, sonũ emittit, qui quia hinc grauis, inde verò acutus exit, tamen acutè resonantia grauioribus adtemperans, admirabilem æquabili interim tenore producit Harmoniã: Hisce de caussis summum illud cælum, in quo omnes sunt Stellę præter Planetas, cuius circularis motus quia velocior est, etiam acutiorem sonum edit. Lunaris autem qui nobis est proximus, orbisq́; partem obtinet infimam, grauiori mouetur sono, Terra vero quæ nonus est globus, motusq́; omnis expers, infimum locum in ordine globorum reliquorum occupat, in medium totius vniuersi relata. Ex octo orbibus, dulcissimus quidam, & sempiternus efficitur concentus, septem tantummodò vocibus siue sonis distinctis, Nam ex Mercurio et Venere, vnicus motus tenorq́; efficitur, quare vna dicẽda est vox tametsi geminata; Esse autem illorum siderum eundem sonum, indicant eorumdẽ ambitus atq́; conuersiones, Et septenarius hic numerus, rerum penè cunctarum est perfectio. Porro hunc sonitum, Pythagoras alijq́; viri multi prȩstãtes, hymnis instrumentisq́; musicis referendo, sibi patefecerunt aditum in cælum, quod & præstitum est

ab alijs qui in hac vita sese totos Iusticiæ, continentiæ, prudentiæ, pietati, scientiæ, sapientiæ, Diuinoq́; cultui, emanciparunt, deuouerunt. Quia autem vehemens sensibile corrumpit sensum, factum est, vt homines ad nimiam cęlestis illius soni vehemẽtiam, planè obsurduerint: pręsertim cum hominibus, nullus sit sensus hebetior obtusiorq́; auditu. Quod et de illa Aethyopię liquet gẽte, quę iuxta eũ locum habitat, ubi Nilus ad illa loca (quę Græco nomine ex ipsa re (κατάδουπα) quasi immo dico fragore strepentia) adpellantur, inter scopulos ruit defluitq́;, tanta vehemẽtia ac stridore, vt accolas pænè surdos reddiderit, illorumq́; auditus instrumentum vitiarit. Et quemadmodum in Hominibus, vehementer offenduntur oculi, sensusq́; visus debilitatur, si quando solares radios ex aduerso intueantur diutius: ad eum quoq́; modum, sonus ille, qui ex cęlestium orbium collisione fit, maior est quàm vt humanarum aurium recipiatur angustijs. Hæc ipsa dum mecum perpendo, & quàm vilia quamq́; abiecta sint omnia, quę continentur geruntur q́; in terris, iterum atq́; iterum mente pertracto; Video, inquit Auus, te & iam quidem homines, eorumq́; domicilium adhuc, tam quàm eximium quoddam, contueri; Terra autem, quia tibi ex hoc loco admodum adparet exigua, ut reuerà est. Tuarum deinceps erit partium, res humanas, quæ viles & abiectæ sunt semper postponere, sursum vero mentis oculos eleuare, cælum diuinaq́; inspicere. Parua est enim gloria, quam etiam rebus quãtumuis magnis in terra gestis, cõsequi possis. Nam Terra, rarè & velut sparsim

ab homi-

ab hominibus colitur vt vides per exiguas quasi particulas, quibus vastissimæ interiacent solitudines, multò maximam partem occupantes, Itaque hi à quibus terra habitatur, non modò ita seiuncti sunt, vt ab his ad alios nihil planè transportari cõmunicariq; ne fama quidem possit; Sed quia tota Terra globus quidam est, fit vt homines quoque alij sint obliqui, ij scilicet qui idem incolunt cingulum, verum latera contraria, dùm hi ortum, illi occasum spectent, alij dicantur Transuersi, quippe qui in Boreali Australiq; Zona vitam degunt: Alij Antipodes, qui vestigia vobis figũt aduersa, à quibus sane omnibus, vtpote res vestras ignorantibus, glorię laudisq; nihil, aut vllam famæ nominisquè sperare celebritatem potestis. Vides etiam Nepos, Terram istam, Zonis quibusdã siue cingulis exornatam cinctamq;, è quibus illi terrę tractus qui Boreali australique vertici suppositi sunt, perpetuis immersi frigoribus obrigent, neq; habitari possunt; E diuerso, regio media prę nimio calore atq; æstu inhabitabilis est: Atq; ita fit, vt duo illa cingula, quę inter Borealem australemq; verticem atq; medium centrum interiacent, quia temperatius cęlum habent, habitari queant; Australi Zonę subiecti sũt Antipodes, qui in ea parte Sphere, quę nobis est opposita habitãt, et quia vos ad illos, aut illi ad vos comeandi potestatem non habent, Australis pars ad Romanorum gloriam non pertinet, quemadmodum nec ille, qui aquiloni siue septemptioni suppositus est vos ex omni parte sui contingit, Quantò autem Circus Tropicus septemptionali circo; tantò Zona verticibus, q̃

lateribus angustior est, Summitas enim eius in arctum extremi circuli breuitate contrahitur; Diductio autem laterum cum longitudine Tropici distenditur; tū quia omnis terra à vobis inhabitata in qua Oceanus est, ad quemuis cęlestem circulum est quasi centrum, puncti locum tenens; Et licet nobis Atlanticum istud mare admodum videatur dicaturq́; magnum, de cælo tamen despicientibus angustissimum videtur, cùm terra vniuersa cęlo si conferatur, puncti sit instar. Ex Terris verò habitatis vobisq́; haud ignotis, num vel tua alteriusuè cuiusquam vestrum fama, illum quem eminus conspicis Schitiæ montem Caucasum, aut Gangem Indię fluuiuium, traijcere superareq́; poterit? Anne quispiam in reliquis plagis siue orientali siue Occidentali, Meridionali aut Septemtrionali, tuas res gestas conplectetur, nomenquè tuum admirabitur? Hasce autem Terræ partes si tollas, in valdè exigua spacia, vestra se patietur diffundi gloria. Sed esto: Res à vobis feliciter gestas, referant homines, de vobis multa præclara dicant; minimè tamen hoc diuturnum erit; immò licet posteri res vestras, nomenquè vestrum scripto alijsuè monumentis propagare velint, propter tamen aquarum inundationes, terrarumquè exustiones, quas post certa annorum spatia contingere est necesse, non possunt monumenta illa esse æterna. Quid etiam tua intererit, si posteri de te sermonem multum habeant, cùm cernas maiores tuos, de ijs qui multò ante se nati sunt (qui & multi fuere, & certè maiores, laudibusq́; digniores, quàm nūc sunt) sermonem

nem

nem non multum feciſſe, pręcipuè cùm apud eas gentes quibus res tuæ geſtæ, nomenq; tuum inno teſcere poteſt, nemo ne Anni quidem vnius conſe qui poſſit memoriam. Annum enim vocitant, nõ illum, quo vos vtimini, menſibus duodecim defini tum, ſed hoc temporum tantum ſpacium, tamq́; magnum, quo ſidera omnia, emẽſo cæli ambitu to to, eum ad locum vnde exceſſerant, reuertantur: ex quo, Annum Vertentẽ, eum adpellare licet, qui multa hominum ſecula cõplectitur. Quemadmo dum enim quondã ſub Romuli exitum, Sol eclyp-ſin (vt volunt) patiebatur, omninoq; hominibus id tẽporis viuẽtibus deficere viſus eſt; ita Mũdanus hic noſter inplebitur Annus, quãdocumq́; Sol de ficiens, ijsdem in locis, partibusq; erit, cum alijs ſtellis atq; planetis, in quibus tùm fuerãt; Quod demum eſt futurum, multis annorum millibus, poſt Romuli interitum, & iam quidem, nondum vigeſima eius tranſacta pars eſt. Quamobrem ſi redditum in ſublime excelſumq́; iſtud templum deſperes, in quo, cuncta ſunt quæ vel votis ab ex cellentibus clarisq́; viris optari poſſunt; Vide quàm parui ſit inanis illa hominum gloriola æſti-manda, quæ ad vnius Anni particulã, vix pertin gere poteſt. Quod ſi ad magna velis niti, & hoc in templo, tuam aliquando ſedem figere, ęternisq́; bonis frui: vide ne nimium laudes, humanosq́; ad plauſus capeſſere ſtudeas, neq; res tuas præcla-ris mortaliũ pollicitis, conſtabilias, hisq́; te vanè lactari ſinas. Fieri ſiquidẽ nequit, quin ſi remp. benè adminiſtraueris, te vbiq; laus conſequatur ſimul & gloria, quæ à vera virtute auferri diri-

miq; non poteſt magis, quàm à corpore vmbra: Quocirca virtutum ſtudijs ſedulo inſiſte, quidq; hominum vulgus de te dicat ſentiatuè, contemne. Hunc ſuum poſtquàm abſoluit ſermonem Africanus, ego eum ita compello: Mi Aue, quia abs te didici, benè de patria meritos, ad beatorum ſedem peruenturos, ibiq; cœleſti gloria potituros; Quãquàm à puero, honori & ornamento familiæ noſtræ eſſe ſtudui, maiorumq; veſtigijs ſedulò inſiti, longè diligentiùs quam hactenus, in partem Reip. adiuuandæ, deinceps incumbã. Tùm Africanus, Sic mi Nepos (inquit) vt dicis facito, & non te ſed corpus iſtud quo adhuc veſtiris, corruptioni dumtaxat obnoxium, tibi firmè perſuadeto. Neq; enim id quod exterius adparet, homo verus eſt, ſed illud à quo externum iſtud regitur, Anima ſcilicet ab omni mortalitate aliena, quæ (ad prępotẽtis Dei, ſua prouidentia hunc vniuerſum mundum adminiſtrantis, imitationem) corpus iſtud cui præeſt gubernat, mouetq;. Etenim quod perpetuo continuoq; ſubijcitur motui, duratione eſt ſempiternum; at quod aliud mouet, ipſumq; ab alio mouetur, alieno ceſſante motu, ipſum quoq; moueri deſinat, eſt neceſſe; Atque hinc conſequitur, quod quidquid ſibi ipſi motum adfert, ſeipſo quia deſtituitur numquàm, fieri quoque non poſſe vt omni motu priuetur: His accedit, quòd et reliquis, quę motu inpelluntur quopiã, iſtud ſit origo, cauſſa, principiumq; motus, vnde cuncta fiunt atq; dependent, ipſum verò, alio ex nullo: aliàs ſiquidem, illud adpellãdum foret principium, quod adhuc haberet aliud, vnde naſcere-

tur.

tur. Quod si principium non oritur ex principio; ipsum sequitur non corrumpi, cùm nihil fieri queat principio exstincto, neque quidquam est quod reparet atq; reducat, cùm non generetur. Omnia vero alia quæ nascuntur aliundè, à principio habent ortum; Atq; hinc colligitur, caussam motusq; principiũ, ex eo proficisci, quod à se nulla ui agitatur externa, & hoc ipsum vti ortus, ita interitus omnis est expers, secùs cadat ruatq; necessariò cęlum, vnà cum rerum natura vniuersa: Nam cessante, quiescente, illiusuè excelsissimi cęli mente mortua, neq; cœlum ipsum, neque vlla creatura alia, ab illius mẽtis impulsu, motũ, vim, vitamuè recipiet. Quando ergo perspicuũ euadit satis, sempiternum esse omne illud quod seipsum mouet, suoq; motu mouetur proprio, illud ipsum, animis conpetere, inficiabitur nemo; Animę quippè sensusq; censetur expers, quodcunq; aliundè mouetur; Animati siquidem vis & natura, in eo consistit, vt suum & internũ motum quo moueatur, habeat. Quod si Anima sola est ex omnibus quę sibi motum prębeat, ortu interituq; caret, & est immortalis. Quę cùm ita se habeant, Est quod animam tuam virtutum splendore exornes, eandemq; rerum optimarum exercitijs excolas; Quod sanè facturus eris, si cũctas tuas cogitationes, actionesq; vniuersas, in curam ac defensionem Patrię summo ac præpotenti Deo longè gratissimam, referas; Hę quippe vię sunt prę stantissimę, quibus ad beatam cęlestemq; illam sedem, anima pertinget citius, tùm etiam si eo tẽpore quo corporeis adhuc constringitur vinculis

cęlestia scrutetur sępius, atq; ita seipsam à corpore eiusq; malis affectibus abstrahat, liberetque. Animę enim illorum qui sese humanis vitijs contaminarunt, seq; totos libidinibus & turpitudinibus deuouerunt, è corporibus dùm exierunt, à cõsilio Deorum, quorum violauerunt iura, excludũtur, & deuium quoddam iter circũ terram oberrantes (vt pœnas luant) ingredi coguntur: Neq; ijs aditus in illam beatorum sedẽ (quàm vocant) patet, nisi expiatis sceleribus, post multa tandem tempora. Et inter alia euanuit auus, ego autem animo conplectens, suspiciensq; cuncta, quę in Somnio meo viderã cognoueramq;, expergiscor.

FINIS PARAPHRASIS.

GERARDI VOSSII EBVRONIS A BORCHLOON

VARIAE LECTIONES

ex diuersissimis Codicibus, tàm manuscriptis quã typis excussis, in vsum Studiosorum, summa diligẽtia conciliatæ:

Vnde non modo quam hic Lectionem vitare, quãque sequi conueniat uidebunt: Sed quo pacto etiam in alijs, Varietas citra difficultatem decerni conciliariq; possit, intelligent.

EPISTO-

EPISTOLA GERARDI VOSSII IN VARIAS SCIPIONIS SOMNII LECTIONES.

Ad Generosum Lectorem.

QVotquot pænè hactenus Generose Lector, Exēplaria tàm antiqua quàm recentia, manuscripta quàm typis diuersorum Typographorum excussa vidi, maximis in Lectione varietatibus obnoxia, nunc verbis, subinde etiam sensu discrepantia, reperi. Atq; hæ ipsæ varietates, tametsi non adeò plærisq; videantur portentosæ, in tantis tamen Auctoribus, mihi crede, minimè tolerādę. Quare me hic operæpretium arbitratus sum facturum, pro communi Studiosorum bono, maximè vero eorum, qui in scholis, alijs erudiendis operam nauant, aliorumq; quibus viua Magistri voce frui non licet, quos hæc persæpè Lectionum portenta, mirum in modum torquere, in eruēdo legitimo sensu, solēt: si pręmissis illis meis Elucubrationibus, eadem opera, varias quoq; variorum Codicum tàm manu scriptorum quàm Impressorū, quos ante aliquot annos, tàm in vtraq; Germania, quàm Romæ in Vaticano, celeberrima totius Orbis Bibliotheca, videre licuit, lectiones adducerem, adductas conferrem, collatas decernere, reiq; veritati ac antiquitati conformiores; & pas-

& passim quoq; vsitatiores scholisq; accommodatiores, substituerem, vt quid vitare, quidue è multis sequi conueniat, nō modo in Hoc, sed quocumq; Auctore alio, ad Exemplar huius, eiuscemodi conferre, collata citra vllum tædium decernere, decernendo veritatem ipsam, cum publico cōmodo coniunctā, perquirere norit quiuis; Et vt è vestigio hæc considerare atq; perspicere possis, ad Numeros, cū folijs textus subnotatis, varietatē Lectionū designantes, Numerisq; minorū marginum ipsius Textus, in principio Operis positi, correspondentes, oculorum simul & mentis aciē intendes, Elenchumq; post subiectum, animaduertes. Et in hac Variarum Lectionum collatione, Lectorem aduertendum censui, me in hisce, nō solum Exemplaria latina, antiqua atq; vulgata secutum; Sed & Græcos codices, cuiuscumq; tandem illi sint Interpretis, huc coniecisse, atq; ex illis simul, Varietatē conciliasse, & cuncta ad verum vsum retulisse. Quantum autem ad Græcos illos attinet, illi mihi potius à Maximo Planude q̃ à Theodoro Gaza (quod quidam falso persuasi voluerunt) traducti censentur: Ratione, vt id credam, hac adducor: quòd in Impressis solùm Gazæ: at in scriptis non illius, sed semper Planudis mētio fiat: Huc accedit, quòd pleræq; Versiones scriptę manu, nomen Planudis circumferētes, quas Romę vidi, antiquitate ętatē Gazæ à nostra nō multū dissitā, longè excedāt. Quibus rationibus æquus Lector suffultus, facilè meæ sententię subscribet, & in reliquis, quod opto, nostros sudores atq; labores Boni consulet, & Valebit.

GERAR-

GERARDI VOSSII EBVRONIS A BORCHLOON PARADIGMA Variarum Lectionum.

IN principio Scipionis Somnij, mirè variant Exemplaria, alijs hoc modo statuẽtibus, alijs illo sentientibus; Sunt enim nonnulla, quæ habent? Cùm in Africam venissem, Anitio Manilio Cõsule, &c. Atq; sic transtulit è latino in Grecũ, Doctissimus Maximus Planudes, ἡνίκα περὶ τὴν Αφρικὴν ἀφικόμην Ανιτίου Μανλίο ὑπατδοτος &c. Alia nescio quã rectè, Annio Manlio Consule, legunt, Alia pro Manlio, habent. Manilio, alia Martio Cõsule, Alia, pro Annio Manilio, habẽt Marco Manilio Consule &c. Quædam. Cùm in Africã venissem à Manilio Consule ductus &c. Quædam, Cum in Africam venissem Anitio Mallio Consule &c. Atq; sic in quibusdam reperi manuscriptis Libris, sed mihi nõ probatis. Sunt, qui legunt. Cum in Africã venisse Manilio Consuli &c. In Datiuo casu, sic qui legendum contendunt, vetustatem simul & Appianum in testem adducunt, adserentes, eum in Libijco (quod non inficiamur) dicere Manilio Consuli, Tribunũ militum fuisse, Scipionem Aemilianum. Atque horum libenter fiderem censuræ, subscriberemq; sententiæ, nisi me Valerij maximi hunc Maniliũ non Consulem sed proconsulem adpellantis, commoueret ratio atque auctoritas, Recenset enim

Num. 1. Fol. Text. 2.

Appianus in Libyco.

lib. 5.

M. Manilius, Procõsul à Valc. vocatur.

» *lib. 5. cap. 2. de Rege Maßanissa agens, quòd*
» *Massanissa M. Manilium, qui Proconsul (vt ait)*
» *Africam obtinebat, litteris obsecrauit, vt ad se,*
» *Scipionem Aemilianum, sub eo tunc militantem*
» *mitteret, feliciorem mortem suam futuram ratus*
&c. Et in tãta varietate, censerem subscribendũ esse veritati Historiæ, aut tempora concilianda.

2 *Legunt nonnulli;* Numquàm ex animo meo
2 discedit illius optimi &c. *absq; particula (ita, vel Itaq;) præcedenti. Alij, punctum collocant post id quod immediatè precessit* (Nomine ipso recreor) *& particulam illam ab alijs omißam ponunt, inchoantes à littera maiuscula (I) & sic dicunt;* Itaq; nũquàm ex animo meo discedit &c. *Tu duo puncta, post id quòd præcessit constituito, & sic iuxta formam quorumdam manu scriptorum corrigito;* Cuius ego nomine ipso recreor; ita numquàm ex animo meo discedit &c. *Hæc enim Lectio, & Antiquitati & perspicuitati seruit.*

3 *Legunt quidam;* Deinde vt cubitum disces
2 simus me & fessum de via &c. *Alij*, Me & defessum via &c. *In exemplaribus quibusdam manuscriptis desunt hæc* (fessum, defessumue) &c. *Interim accommodabimus nos hic scholis, neq; καθάρμα, piaculumq; cõmitti* (fessum defessumue) *cùm alijs addendo, censebimus. Græca verò translatio sic habet;* ἐκ δὲ δὴ τούτου, ὡς ἐπὶ κοίτων ἀπεχωρήσαμεν, ἐκ δὴ τῆς τροφῆς *&c.*

Legi

Legi vetuſtiſſimum quoddam exemplar,in quo 4
hanc repperi Lectionem ; Eritquè cognomen 3
hoc tibi parte partum &c. *Sed reliqua , quæ le
gi, manuſcripta & inpreſſa , in vnum coincidunt
omnia, & habent :* Eritq; cognomen id tibi p
te partum &c. *Idq; verius & ad communẽ etiã
Lectoris ſenſum accommodatius . Sic & græca
tranſlatio :* καί σοι ἔσαι τόδε τῦ ἐπώνυμον διὰ σαυτῦ
περιποιηθέ. &c.

Legunt quidam ; Cùm autem Carthaginem 5
deleueris, triumphum egeris , Conſorq; fueris 3
&c. *Se tuentes quibuſdam manuſcriptis , in qui-
bus etiã potuit eſſe error, vt et in noſtris ſæpius ,
dùm nunc vnam litteram pro alia , nunc integras
frequenter dictiones , ſcribendo inuertimus ; ita
quoq; ibi (O) pro (E) (Conſorq;) pro (Cenſor
que) ſcriptum fuiſſe putandum eſt . In alio quo-
dam codice, pro hoc, legi :* Conſulq; fueris &c.
*Quę Lectio etiam videtur errori obnoxia , cùm
paullò poſt dicat ;* Deligere iterum abſens Con
ſul &c. *Quare vulgatam Lectionem , Antiqui-
tati etiam magis conformem recipe , & ſic lege.*
Cùm autẽ Carthaginem deleueris,triumphum
egeris, Cenſorq; fueris &c. *Et hanc lectionem
ſequitur Interpres gręcus,* ἡνίκα δ' ἂν ἐκπολιορκή-
σεις τὴν καρχηδόνα, θρίαμβον θήσεις καὶ τιμητὴς γενή-
σῃ &c.

Potior pars codicum Inpreſſorum , & manu- 6
ſcriptorum nonnulli, quos vidi habent : Te Socij 3
& Latini intuebuntur &c. *Interpres Græcus
abſq;*

absq; coniunctione, repetit (Te) *& sic legit*: σὲ οἱ ἑταῖροι σὲ οἱ λατῖνοι περιλέψονται &c. *Alij, quos sequor, absq; coniunctione & Repetitione pronominis* (Te) *legunt*. Te Socij Latini intuebuntur &c. *Et rectè; nam hos eosdem fuisse, ex*
Liuius. Lelius. *Liu. 9. de Bello Punico, & ex Ciceronis Lelio colligitur.*

6 *Vulgata exemplaria hactenus habuerunt.* Et
pax sit rebus &c. *Ita quoq; Græca trãslatio* ἀλλ'
4 εἰρήνη ἔςω τοῖς πράγμασιν. *Sed Lectionem hanc tamquàm ex coniecturis petitam reijcies, & vetustatem sequeris, legesq; hoc pacto;* Et parũ rebus &c. *Huius sensum nostra tibi aperit Paraphrasis fol. 77.*

Vetustum quoddam exemplar vidi, quod ha-
7 *bet;* Nisi enim cùm Deus his cuius est Tem-
4 plum hoc omne &c. *Hæc verò, quàm incommoda sit Lectio, vides. Quare hanc Lectionem præfer;* Nisi enim Deus is cuius est templum omne hoc, quod conspicis &c. *Ita habent codices manuscripti, quos legi. Hæc & in Græca translatione.* εἰμὴ γὰρ θεὸς οὗ νεώς ἐςὶ τόδε τὸ πᾶν ὃ βλέπεις *&c.*

Sunt qui legunt; Circulos suos, orbesq; cõ
8 ficiunt &c. *Alij.* Circulos suos perficiunt.
5 *Alij.* Circos suos, orbesq; conficiunt &c. *In Græco est;* τοὺς οἰκείους κύκλους διεξίασι &c. *Sed in his, quomodocunq; legas, parùm refert, omnia enim in idem coincidunt.*

Quidam

Quidam legunt. Nec iniuſſu eius à quo ille nobis eſt datus &c. *Alij melius ſic;* Nec iniuſſu eius à quo ille vobis eſt datus &c. *Paullus enim parens qui hæc referre fingitur, corpore ſolutus erat, cùm hæc enarraret.*

Nonnulli; Ne munus humanum adſigna- 10
tum à Deo defugiſſe videamur &c. *Tu cum* 5
alijs legito; Ne munus humanum adſignatum à Deo defugiſſe videamini &c. *In Græco quoq́; ponitur* (δόξητε) *Eadem eſt ratio cũ præcedenti. Sed in his non eſt facienda uis.*

Legunt quidã; Vltima à cælo, citima à terris 11
&c. *Alij candidiorẽ verioremq́; amplectuntur le* 5
ctionem, & legunt, Vltima à cælo, citima terris &c. *Ita habent pleraq́; manu ſcripta quæ vidi, Ita quoq́; Græce* ἥτις ἐσχάτη μὲν ἐξ οὐρανοῦ ἐγγυτάτω δὲ τῆς γῆς, &c. *Plantiniana editio, quæ emiſſa eſt Anno* 1568. *vtrobiq́; omittit præpoſitionem, habetq́; ſic;* Ex quibus erat ea minima, quæ vltima cælo, citima terris &c. *Poſteriores hi duo legendi modi plauſibiles, & antiquitati manuſcriptorum conformes.*

Exemplaria omnia tàm manuſcripta quàm ty 12
pis excuſſa, quęcumq́; mihi licuit videre vno ex- 6
cepto, ſic habent; In quo ſunt infixi illi, qui voluuntur ſtellarum curſus ſempiterni &c. *Atq́; hæc optima lectio videtur, & græcis conſona, in quibus ſic eſt:* ἐν ᾧπερ ἐκεῖνοι πεπήγασιν οἱ περιελιττόμενοι τῶν ἀστέρων ἀΐδιοι δρόμοι *&c. Habui tamẽ*

vetu-

vetustissimum quoddã Exemplar, ante centum et quattuor annos excussum in Germania, ex Bibliotheca fratrum Hieronymianorum Leodiensium, in quo talem repperi lectionem; In quo sunt infixi, illi qui voluuntur stellarum cursus sepтenni &c. *Et hanc quidem lectionem, licet typis propter alios non exprimendam, tamen propter perspicuitatem vehementer probandam censeo. Interim Lectori vtraq; lectio sit libera, prior tamen vsitatior, & Manuscriptis conformior.*

13 *Vulgati codices habent;* Hunc vt comites cõ
6 sequuntur, Veneris alter, alter Mercuij cursus &c. *Sed alij in suis castigationibus legunt ad hũc modum;* Hunc vt comites consequuntur, Veneris alter, alter Mercurij &c. *omittendo (cursus) Ita quoq; in manu scriptis nonnullis legi, sed Lectio græca, priori adstipulari videtur, additque (δρόμος) hoc modo:* τούτῳ δὲ ὡς περεί τινες ὀπαδοὶ, ἕτερος μὲν ὁ τῆς ἀφροδίτης, ἕτερος δὲ τοῦ ἑρμοῦ δρόμος ἕπεται &c.

14 *Quædam Exemplaria habent;* Et in eam fe-
6 runtur omnia suo motu pondera &c. *alia sic;* Et in eam feruntur omnia, suo Nutu pondera &c. *Vtramq; lectionem, in libris tàm manuscriptis, quàm inpressis repperi, & quomodocumq; legatur, parùm refert. Max. Planudes, vtramq; lectionem conplectitur, nomine* τῆς ῥοπῆς, *siquidẽ hoc, motum & nutum significat: Dicit autem,* καὶ πρὸς αὐτὴν φέρεται πάντα τῇ οἰκείᾳ ῥοπῇ τὰ βάρη &c.

Legunt quidam; Quid inquam eſt, qui com 15
plet aures meas, *et ſic trãſlatio græca,* τί τέτ' ἐστιν 6
τίς ὁ πληρῶν μοιτὰς ἀκοὰς *&c. Alij ſic rectius;*
Quid hic, inquam, quis eſt qui complet aureis
meas &c. *Hanc lectionem ſi placet ſequere.*

Habent nonnulli codices; Sed tamen pro ra 16
ta parte, ratione diſtinctis &c. *Et ſic ferè in græ* 7
cis. Alij & ferè correctiores habent; Sed tamen pro rata portione diſtinctis &c.

Sic quidam; Quam ob cauſſam, ſummus il- 17
le ſtellifer cæli curſus &c. *Sic & in tranſlatione* 7
græca Planudis: δι' ἣν αἰτίαν ὁ κορυφαῖος ἐκεῖνος
καὶ ἀστροφόρος τοῦ οὐρανοῦ δρόμος *&c. Alij ſic rectius;* Quàm ob cauſſam ſummus ille cæli ſtelliferi curſus &c. *Hanc lectionem in manuſcriptis vidi.*

Nonnulli ſic; Illi autem octo curſus in qui- 18
bus eſt eadem vis modorum &c. *Alij,* Illi autẽ 7
octo curſus, in quibus eadem vis eſt, duorum Mercurij & Veneris &c. *Alij omittunt iſtud (Mercurij & Veneris) leguntq; hoc pacto;* Illi aũt octo curſus in quibus eſt eadem vis duorũ &c. *ſubintelligendo id, quod ab alijs poſitũ eſt; & hanc lectionem per ſubauditionem plærique probant, adſerentes illud (*Mercurij & Veneris*) gloſſema fuiſſe, & tamquàm à Cicerone poſitum, in libros impreſſos irrepſiſſe. Sed alij ſecus ſtatuunt, cùm vtraq; lectio, & ſine hac ſubauditione, & per ſubauditionẽ, in manuſcriptis reperiatur. mihi (ſalua omni coniectura) placet (* duo-

rum Mercurij & Veneris) *additio. Interim lectori liberum sit sentire, quod volet.*

19 *Ferè omnes codices impressi & manuscripti*
7 *habent;* Qui numerus rerum omnium ferè nodus est &c. *Nonnulli tamen hic pro* (Nodus) *ponunt* (Modus) *Contenduntq́; legendum.* Qui numerus rerum omnium ferè modus est &c. *Significare autem volunt, hoc vocabulo, consensionem interiorem seu mensuram, societatemq́; huius numeri, cum multis in vita rebus, ac velut quandam moderationem. Potior tamen pars codicum habet,* Nodus, *& fortè non malè. Huius vim tibi in nostro Commentario aperuimus. Et hac lectione,* ὅτις δῆτα ἀριθμὸς, σύνδεσμος ἄντικρυς τῶν ὄντων ἐστὶν, *vtitur Interpres.*

20 *Alij Libri habent;* Sicut vbi Nilus ad illa,
7 quæ Catadupa nominantur, præcipitatur ex altissimis montibus &c. *Alij,* Sicut in illis, vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominatur, præcipitat ex altissimis montibus &c. *Alij, pro* (altissimis) *habent* latissimis &c. *Interim hic parùm refert quomodocumq́; legatur, Græca traductio hæc est;* ὥσπερ καὶ τοῦ Νείλου παρὰ τοῖς λεγομένοις καταδούποις ἐξ ὑψηλῶν ὀρῶν καταράττοντος &c.

21 *Vnum aut alterum Exemplar impressum hanc*
8 *habet Lectionem;* Tùm Africanus, inquit, sentio te sedem & iam nunc hominum ac domum contemplari &c. *Vidi manuscriptũ in quo sic est:* Sentio te sedem & nunc hominum atq; domi-

dominium cõtemplari. *Reliqua repperi conformia in lectione hac;* Tum Africanus. Sentio, inquit, te ſedem etiam nunc hominum ac domũ contemplari &c. *Atq; hanc recipiemus. Sic ferè Græca;* αἰσθάνομαι σοῦ φησι τὴν ἕδραν τῶν ἀνθρώπων καὶ ἑςίαν καταμανθάνοντος *&c.*

Sunt qui ſic legant; Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quàm expetendam gloriam conſequi potes &c. *Huic adſtipulatur & interpres,* τίνος γὰρ σὺ τῆς εὐκλείας ἐκ τῆς τῶν ἀνθρώπων φήμης, ἢ τίνος ἐπεράςυ τυχεῖν δόξης δύνήσῃ. *&c. Quidam ſic,* Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendo conſequi gloriam potes &c. *Vtraq; eſt in manuſcriptis, amplectiq; licebit vtramuis.* 22 8

Vides habitari raris & anguſtis in locis &c. *legunt quidam. Alij quibus ſuffragandum puto ablatiuum* (terra) *adijciunt, & ſic legunt;* Vides habitari in terra, raris & anguſtis in locis &c. *Sic in Vaticanis exemp. Et ſic ferè Græca traductio,* ὁρᾷς πάντως τὴν γῆν σποράδην καὶ ςενοῖς οἰκουμένην χωρίοις *&c. Sed paullò ſecus.* 23 8

Alij; Sed partim obliquos, partim verſos, partim etiam áduerſos ſtare vobis. 24 8

Alij; Sed partim obliquos, partim auerſos, partim etiam aduerſos ſtare vobis.

Alij; Sed partim obliquos, partim trauerſos, partim aduerſos ſtare vobis &c.

Alij quibus adhærendum cenſeo ſic; Sed par-

tim obliquos, partim transuersos, partim etiã aduersos vobis stare &c. *Hanc lectionem pleraq; habent manuscripta exemp. quæ vidi: itaquoq; Hieronymianum istud exemplar, cuius antea memini. Et sic ferè Græca;* Ἀλλὰ καὶ τοὺ μὲν πλαγίους. τοὺ δ' ἀντεστραμμένους. τοὺ δ' ἀντικειμένους ἡμῖν, ἱσταμένους *&c.*

25
8 *Hic rursus variant;* A quibus exspectare gloriam &c. *Alij sic;* A quibus spectare gloriam certè nullam potestis. *Alij legunt;* A quibus sperare gloriam certè nullam potestis &c. *Sic etiã in nonnullis manuscriptis reperi. Sed in græco verbũ est,* προσδοκᾶν δόξαν, *omnia illa cõplectẽs.*

26
8 *Variant & hic;* Hic autem alter subiectus Aquiloni, cerne qui tenui vos parte contingat &c. *Sed hæc melior antiquitatiq; conformior;* Hic autẽ alter subiectus Aquiloni; quem incolitis, cerne quàm tenui vos parte cõtingat &c. *Et sic ferè Græcè;* ἄυτη δὲ ἡ ἑτέρα ἡ τῷ βορᾷ ὑποκειμένη, ἣν νέμεσθαι, καθ' ἣν ἄθρει πόσον τι στενῆς μερίδος ὑμῖν μέτεστι *&c.*

27
8 *Quidam sic legunt;* Omnis enim terra quæ colitur à nobis angustata verticibus, lateribus latior, parua quædam insula est, circumfusa illo Mari, quod Atlanticum, quod magnũ, quem Oceanum adpellatis &c.

Alij; Omnis autem terra, quæ colitur à vobis angustata verticibus &c. quod Oceanum adpellatis &c. *Alij rectius & verius sic;* Omnis

nis enim terra quæ colitur à vobis, angusta verticibus &c. *Atq; sic in manuscriptis legi. Dubito enim, an hæc vox (angustata) sit Ciceroniana necne; Deinceps corrigito;* Quem Oceanum adpellatis, non quod &c. *Atq; sic habent codices manuscripti, ita quoq; loquendum, Grammaticorum præcipiunt Regulæ.*

Vnum aut alterum exemplar vidi, vbi habebatur; Vel quis in reliquis orientis aut abeuntis Solis &c. *Sex aut septem alia diuersa legi exemplaria manuscriptis consona, quæ conformem habebant Lectionem, hanc scilicet;* Vel quis in reliquis orientis aut obeuntis solis &c. *Neq; enim propriè, dicitur Sol abire, ut ex Etymologicis etiã perspicuum est. quare altera reiecta huic subscribendum puta. Cui & ipse interpres Græcus adstipulatur, dum ait;* ἢ ἐν τοῖς ἐπιλοίποις τῆς ἀνατολῆς, ἢ ἐν τοῖς τοῦ ἡλίου δυομένου ἐσχάτοις. &c. 28 9

Sunt qui ex codicibus quibusdã manuscriptis, qui & ipsi vitijs scribentis obnoxij esse potuerunt, hanc producunt lectionem; Laudes vniuscunq; nostrum à patribus acceptas poteris prodere &c. *Alij legunt,* potestis prodere &c. *In quodam manuscripto pro (prodere) est pandere. Alij legunt et quidem reliquis meo iudicio melius;* Quin etiam si cupiat proles illa futurorũ hominũ deinceps laudes vniuscuiusq; nostrũ (non vniuscunq;) à patribus acceptas, posteris prodere (& non poteris, neq; potestis prodere) &c. *Rationem huius, me tacente vides, quare an-* 29 9

tiquitatibus verioribus assentire &c.

30 *Varietas est & in his;* Quid enim interest
9 ab his qui posteà nascentur, pronomen fore de te &c. *Hanc lectionem repperi in quodam manuscripto exemplari, Bibliothecæ vaticanæ. Duo tamen alia exemplaria antiquissima quæ in eadẽ Bibliotheca legi, plausibiliorem & passim nobis vsitatiorem Lectionem cõtinebant, hanc scilicet;* Quid enim interest ab his qui posteà nascẽtur sermonem fore de te &c. *Sic quoq; correctiores libri impressi, quos vidi. Ita & Interpres legit, cuius verba hæc sunt.* τίς δὲ ὄνησις ἐκ τῶν ἐπιγενησομένων ἀνθρώπων, εἶναι τίνα περὶ σοῦ λογον &c.

31 *Mirè hic variant;* Homines autem annum
9 tantum Solis, id est vnius astri reditum metiũtur &c. *Sic quidam. Alii loco* metiuntur, *legunt* mentiuntur. *Alii;* Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est vnius astri reditu, *non* (reditum) mentiuntur &c. *Alii vetustatẽ quam viderunt curiosè citant, & dicunt;* Homines enim iocularitèr annum solis &c. *Coeterum vocabulum istud* (iocularitèr) *quia plurimi contendunt parùm latinè dici: loco eius,* populariter, *ponemus, & cum aliis rectiùs vsitatiusq; dicemus;* Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est vnius astri reditum metiuntur &c. *Atq; sic habet maior pars codicum manuscriptorum, & impressorum quos vidi. Ita & Græca;* οἱ γὰρ ἄνθρωποι, τῇ συνηθείᾳ ἐνιαυτὸν, μόνον τοῦ ἡλίου, τοῦτο δὲ ἐστὶν ἑνὸς ἀστέρος ἀποκα-

τάστασιν

τάστασιν συμμετρῦσιν, &c. *Licet quidã libri scripti, quos in uaticano legi habeãt;* Homines enim loquelariter &c. *Aliȷ̈ sic;* Homines enim, pro loquebantur annum tantummodo ſolis &c. *In tot enim diuerſitatibus, quid latinitati conformius decernendum eſt, & quod ſcholis paſſim vſitatius, recipiendum.*

In his quoq;, nobis quidam, ex ſuis manuſcrip- 32
tis quos viderunt, admodum peregrinam inuſita 9
tamq; hoc tempore inducunt Lectionem, reclamãtibus multis aliȷ̈s manuſcriptis, & omnibus ferè libris hactenus impreſſis, & ſic legendum dicũt; Reapſe autem cùm ad idem, vnde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint &c. *Aliȷ̈ sic;* Reipſa autem cùm ad idem vnde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint &c. *Ab hac lectione aliȷ̈ non multum diſſident qui legunt;* Cùm autem ad idem vnde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint &c. *Omittendo* (reapſe) & (reipſa) *ſic Hieronymianũ illud Exemplar, cũ pleriſq; aliȷ̈s vetuſtis. Sic & Græca traductio habet;* ἀλλ᾽ ἡνίκα ἂν πρὸς τὸ αὐτὸ ὅθεν κατάπαξ ἐκινήθησαν, πάντες ἐπανέλθωσιν οἱ ἀστέρες, &c. *Et hanc lectionem recipe.*

Vnum exemplar habet; A quo vix decidere 33
audeo &c. *Aliȷ̈ rectius ſic;* In quo vix dicere 9
audeo, quàm multa hominum ſecula &c. *Et puto verius, verbũ iſtud* decidere, *pro* dicere, *Librariorum priſcorum errore ſcriptum fuiſſe. Atqui Græcus interpres hic,* τολμῶ λέγειν &c. *ha-*

bet, licet paullò secùs legat, dicit enim; ἐν ᾧ μόνα, τολμῶ λέγειν, πολλοὶ ἀνθρώπων αἰῶνες ἂν περιέχοιντο &c.

34 *Hic rursus variant;* Quandò ab eadem par
10 te Sol &c. *Alia*, Ita quandoq; cùm ab eadem parte Sol, eodemq; tempore iterum defecerit &c. *Alij omittunt* (ita) *& legunt sic;* Quandoque ab eadem parte Sol &c. *Alia melius sic;* Ita quandocunq; eadem parte sol, eodemq; tẽpore iterũ defecerit &c. *Et sic quoq; manuscripta, sic editio illa Plantiniana, cuius memini. Sic quoq; grecanica translatio.*

35 *Sic quidam;* Huius quidem anni nõdum vi-
10 censimam partem &c. *Hanc quisquis volet amplectatur lectionem, interim ego similes lectiones (licèt vt quidam volunt vetustas) tamquàm nimis superstitiosas odi, & hic cum omnibus alijs dicere maluero;* Cuius quidem anni nondum vigesimam (& non vicensimam) partem scito esse conuersam &c. *Ita quoq; codices Vaticani.*

36 *Exemplar manuscriptum supra citatũ habet;*
10 Neq; te pronominibus vulgi dederis &c. *Sed in aliis manuscriptis simul & impressis, semper legi;* Neque te sermonibus vulgi dederis &c. *Ita quoque, cuiuis legendum arbitror. Ad hunc quoq; modum Græca;* μήτε σεαυτὸν τοῖς τοῦ δήμου θρύλλοις ἐκδῷς *&c.*

37 *Manuscripti quidam, quibus correspondent &*
10 *nonuulli*

nonnulli codices impressi, hanc tenent lectionem; Quid de te alij loquantur, ipsi videant, eloquã tur tantum &c. *Alii quos vidi lectionem amplectuntur hanc;* Quid de te alij loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen &c. *Hanc lectionem suscipiendam reor cum Interprete græco;* τὶ δὲ περὶ σοῦ θρυλλήσειεν ἄν, αὐτοίγε ὄψονται, θρυλλήσουσι μέντοι. &c.

Vnum exemplar scriptum, quod legi, habebat; 38
Siquidem benè meritis de patria, quasi limes 10
ad cæli aditus placet &c. *Sed in hac lectione videtur esse error, quemadmodum & in ista;* Siquidem benè meritis de patria quasi limen ad cæli aditum patet &c. *Quare hanc potius, satis passim vulgatam suscipito;* Siquidem benè meritis de patria quasi limes, ad cæli aditum patet &c. *Græcus tamen interpres hic nonnihil variat, legitq́; sic;* εἰ τοῖς σπουδαίοις τῶν ἔργων οἱονεὶ τὶς ὁδὸς τῆς πατρίδος πρὸς τὴν εἰς οὐρανὸν ἄνοδον ἀναπέπταται &c. *Varietatẽ expẽdes, et inuenies.*

Quidam legunt; Nunc tamen tanto præmio 39
exposito &c. *Alii rectius;* Nunc tamen tanto 10
præmio proposito &c. *Et sic translatio Græca;* νῦν μέντοι βραβείου προσκειμένου τοσούτου &c.

Quidam legunt; Si quod Deus est, qui viget, 40
qui sentit, qui meminit, qui præuidet &c. *Re-* 11
liqui rectius sic; Siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prouidet &c. *Atq́; huius tenoris, est & lectio Planudis.*

41 *Quidam legunt;* Solùm igitur quod de se
11 mouetur, quia &c. *Cęteri consentiunt in lectione hac;* Solùm igitur quod sese mouet, quia nunquàm deseritur à se &c. *Ita pleraq; manuscripta, quibus adhærescendum censeo, Ita & Græca;* μόνον δὲ τὸ αὐτὸ κινῶν, &c.

42 *Quidam;* Ipsum autem nulla ex alia re nasci
11 potest &c. *Alij;* Ipsum autem nulla ex re fieri potest. *Alij;* Ipsum autem nulla ex re oriri potest &c. *Ita editio Plant. Exemplaria quædam manuscripta per subauditionem habent;* (ipsum autem nulla ex re) *omittendo* nasci vel oriri potest. *Sic quoq; Græca;* αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνὸς &c.

43 Vel concidat omne cęlum, omnisq; natu-
11 ra consistat necesse est &c. *Ita codices impressi, ac manuscripti omnes, quos vidi habent. Cæterũ dubium nascitur ex Phædone Platonis, vnde hęc ipsa desumta confitetur Eruditi, apud quem neq; verbum (Natura) neq; (consistat) reperitur, quod patet, ex verbis eius subiectis, dicit enim:* τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι, οὔτε γίγνεσθαι δυνατὸν, ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι καὶ μή ποτε αὖθις ἔχειν στῆναι, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται *Quę si è verbo ad verbum reddantur, ita sese habebunt;* Hoc autem neq; mori, neq; nasci potest, aut omne Cælum, omnisq; Terra concidant, necesse est; neq; vmquàm iterum consistere, possit quidquam, vnde mota gignantur &c. *Atq; in his vides Lector, neq; verbum* (Natura) *neq; alterum* (consistat) *poni, aut igitur*

tur hic sensus Platonis à Cicerone inuersus est, quod dicendum non censeo, cùm is in vtraq; litteratura fuerit absolutissimus: aut sanè, hæc verba non tàm ex Platone, quàm ex alio potius fonte collegit, hausitq;: aut deniq; sese (quòd verisimilius forsitan est) potius in grauissimi illius Auctoris mente cõuertenda, rebus ac sentẽtijs quàm verbis accommodauit, atq; hæc nostra (vt vterquè concilietur) est sententia.

Hic quoq; variant; Nec vim vllam nãciscatur, qua primo ab impulsu moueatur &c. 44
11
Alij; Qua primo impulsu moueatur. *Exempla manuscripta quæ secutus sum, sic habent;* Qua à primo impulsa moueatur &c.

Legunt permulti; Cùm pateat igitur æternũ 45
id esse &c. *Quidam hic legendum contendunt;* 11
Cùm pareat igitur &c. *Hoc est, cùm appareat; Sed vtraq; lectio æquè bona videtur, licet posterior manuscriptis conformior, quam quoq; videtur secutus Interpres græcus, dicit enim;* ἀθανάτυ δὲ πεφασμένυ τῦ ὑφ' ἑαυτῦ κινυμένυ &c.

Hic quidam sic; Quod autem anima est, id 46
pulsu cietur, interiore & suo &c. *Alij;* Quod 12
autem anima est, id motu cietur &c. *Castigatiora Exemplaria quibus adsentiendum puto, hãc habent Lectionem;* Quod autem animal est, id motu cietur interiori & suo &c. *Sic & in græca translatione.*

47 *In vno Exemplari legi;* Earumq; se quasi mi-
12 nistros probauerunt &c. *Alia conformia reppe*
ri, in hac Lectione; Earumquè se quasi mini-
stros prębuerunt &c. *Sic Gręca,* αἱ τούτων ἑαυτὰς οἱονεί τινὰς παρέδωκαν ὑπηρέτιδας &c.

48 *Hic quidam scribit, omnibus alijs reclamanti-*
12 *bus;* Circum terram ipsam voluptantur &c. *Sed quàm parum Latinè dicatur, quamq; sit verbum istud* (voluptantur) *à suaui mellifluaq; Tullij dictione alienum, diligens eiusdem Oratoris Lector nouit: Quare cum omnibus alijs scribemus atq; legemus (* Circum terram ipsam volutantur *) quod Ciceroni vsitatius familiariusq; est, aut* voluuntur, *quemadmodum legi in vaticano: Sed vtrumq; complectitur Planudes, dicens,* περὶ τὴν γῆν αὐτὴν καλινδοῦνται.

Finis Variarum Lectionum.

ELENCHVS

LECTIONVM ANIMADVERSA-rum circa quas potissimum est varietas, vbi prior Numerus ad Textum, posterior ad Paradigma variarum Lectionum vltimo positum, refertur.

Quis

scentur

τέλος.

Ἡ δόξα τῷ θεῷ μόνῳ.

ἴσω δὲ χρεῖα τοῖς μαθηταῖς

INDEX

RERVM, ET SENTENTIARVM hoc Opere contentarum foecundissimus.

A

Naturæ

N

Romani

R

S

Stellæ

FINIS.

Fol. 40. Linea 2. Lege, quadam. 40. li. penul, medium, 41. 23. perpetuoq; agitatu. 53. 17. ὠκὺς, 52, li. vlt. Ionibus. 52. 13. Stellas 83. li. vlt. Septemtrioni. 84. 14. Fluuium, 69. 29. μετεμψυχώσεις. & ibidē, ἀδύνατος.

Regestum.

✠ A B C D E F G H.

Omnes sunt quaterniones, præter ✠ & H, qui sunt duerniones.



ROMAE, Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales Anno Iubilæi. 1575.
Cum licentia Superiorum.